

AEMILIUS SPRINGHETTI S. J.

INSTITUTIONES
STILI LATINI

ROMAE
PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA
1954

LATINITAS PERENNIS

I - Selecta Latinitatis Scripta Auctorum
Recentium (Saec. XV - XX), 1951

II - Institutiones Stili Latini

III - Exercitationes variae Stili Latini

IV - Lingua latina Medii Aevi (Collectio
historica-grammatica)

V - Selecta Latinitatis Scripta Medii Aevi

SCHOLA SUPERIOR LITTERARUM LATINARUM
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

AEMILIUS SPRINGHETTI S. J.

LATINITAS PERENNIS

II

INSTITUTIONES
STILI LATINI

ROMAE

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

1954

IMPRIMI POTES

Romae, die 3 Novembris 1953.

PETRUS M. ABELLÁN, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Romae, die 22 Decembris 1953.

† ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vicesgerens

AUCTOR
LECTORI SUO HUMANISSIMO

Ars Dicendi seu Rhetorica acriter nostro tempore ab *Idealistarum* turba, sicuti etiam superiore saeculo a *Romanticorum*, impugnatur, quippe quae omnes adimat liberos sensus fecundaque praepediat ingenia, cum, e contrario, non modo sint ullo freno cohibenda, immo vero etiam concitanda calcaribus.

Nec tantum rhetoricam artem generatim repudiant, sed ipsa quoque stili praecepta neglegunt atque aspernantur. Verum hi omnes de stilo *personali* agere videntur, quem, cum a cuiusque animi dispositione et humanitate seu ab ingenio et natura oriatur, natura ipsa praestat, neque tradi et acquiri, sed excoli solum perficique potest tum arte et exercitio tum imitatione.

Stilus enim propriam dicit vel cuiusque linguae formam, naturam, colorem, vel dicendi et scribendi rationem cuiusque scriptoris. Atqui nostra de stilo latino doctrina ingenium artisque structuram linguae latinae tradere vult, eas nempe proprietates cum in vocum flexione, nexu, dispositione, elegantia, ornatu, tum in figurarum et traslatorum delectu et usu, ac denique in totius orationis compositione et numero, quibus ab aliis linguis differt, quosque probe novisse debet, qui latine et loqui et scribere vult, ne absurde et improprie res cogitatae sua verbis tantum plus minus latinis convestiat, detractis colore omni latino et venustate.

Stilus igitur latinus, seu ratio illa sese exprimendi Romanorum propria ac peculiaris, non ipsam linguae *materiam* spectat (etsi haec etiam alia est in aliis linguis), sed, ut diximus, artem et formam, qua illa disponitur ad sensus animi exprimendos. Neque tamen fingi debet quasi forma, quae

informem linguae materiam determinet, at potius quae singulas grammaticae partes (graphiam, phoneticam, morphologiam, syntaxim) ad aesthetices normas disponat, compleat, perficiat. Ideo recte monuit Fabius : « *Mihi non invenuste dici videtur aliud esse latine, aliud grammatice loqui* » (Qt. I, 6, 27).

Numquam ergo scribet *latine*, qui latinae linguae naturam et proprietates seu ipsam latine loquendi rationem ignoret; quae ex optimis scriptoribus deducta summatim expositaque, erit primus veluti gressus ad secundum necessarius, hoc est ad analysim ipsam auctorum instituendam et aperiendum artificium.

Neque absurdum hoc et rationi non consentaneum videri debet. Ut enim ad pulchritudinem alicuius operis artis percipiendam, in illa arte nos excultos esse oportet; et sicuti pariter ad templum splendidissimum extruendum pernosse opus est aedificandi ornandique artes, nimirum, ut monet Vitruvius (l. I, c. 2), convenientem partium consensum, materiae excellentiam, exactam membrorum singulorum elaborationem : ita profecto ad latinitatis vim pulchritudinemque sentiendam ipsosque latinos scriptores plenius intellegendos, nota esse debent latinae linguae ingenium et proprietates, quibus probe cognitis et, quasi facibus, praelucentibus, facilis iam erit gressus ad proprium cuiusque auctoris stilum dignoscendum artemque iudicandam, qua quisque, ex ingenio cultuque suo, linguam potuit ad ea exprimenda aptare, quae in animo fervebant.

Si quis proinde vult ut discipuli imparati ad opera ipsa accedant explicanda componendave, eos cogit multa non intellegere, non connectere, non detegere; et si quid proficient, hoc tandem consequentur post institutam longam analysim observationum et factorum, quae tamdiu repetierint, quousque, multa et laboris et temporis iactura, penitus fixerint animo.

Ergo — instant recentiores aesthetices cultores — artis leges erui ex ipso opere, illud subsequi, non vero praecedere, debent.

Reponimus ad haec, operis quidem archetypum artificis menti inesse semper debere, quo veluti ducatur in opere ipso exequendo, quodque vel illud erit simpliciter, quod homo

sibi mente fingit congruitque cum primis et summis pulchri normis rationi consentaneis — hoc unum primi artifices in conficiendo opere suo exemplar habuerunt — ; vel illud ipsum magis per illas pulchri leges definitum, quae ex praecedentibus operibus iam erutae sunt et in corpus redactae, ut aliis esse possint adiumento. « *Ea, scilicet, quae observata sunt in usu ac tractatione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis definita, generibus illustrata, partibus distributa sunt. Atque sic est non eloquentia ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum* » (CIC. 1 *De Or.* 23, 109; 32, 146; cfr. QT. V, 10, 119).

Codex ergo praeceptorum semper synthesim dicit ex analysi habitam; aliis verbis, semper alicuius operis analysim praecessisse ponit; atque hoc unum spectat: propriam ac saepe latentem cuiusque indolem propensionemque detegere atque excolere ad artem, nihil tamen in sua progressionem perfectionemque ei adimens libertatis.

Etenim summi artifices — ut cuiusvis artis historia ratioque ipsa docent — opera absolutissima vereque sua perfecerunt, minimeque eorum imaginandi, sentiendi, cogitandi facultas et vis impeditae sunt legibus artis: siquidem eae non ut « canon dogmaticus » et certus omnino, non ut lapis lydius omnis perfectionis et artis in aliquo opere habendae sunt, sed potius ut ordinatio rationi consentanea et fundamentum quo nixi possimus, sublato omni aberrandi periculo, perfectam artis speciem consequi. Etsi igitur his instructi praeceptis, immo quia illis informati sunt, summi extiterunt illi viri; alii autem bene multi nec parvi ingenii homines, illis destituti, vel nihil vel aliquid tantum monstruosum ac deforme effecerunt.

Neque rursus dicendum est res et formam in conscriptis artis operibus per stili institutionem disiungi aut elapsis saeculis in antiquitus tradita rhetorica fuisse disiunctas, et tantum in aesthetice philosophiae Kantianae-Crucianae syntheticam unitatem detectam defensamque esse. Ars enim dicendi ab Aristotele, Cicerone, Quintiliano, omnibus denique sequentium aetatum rhetoribus tradita, quamvis specie maiorem tribueret formae gravitatem — eius namque erat ad formam acquirendam praecipue instituere, cum res ad philosophiam, historiam aliasque disciplinas pertinerent

et in illarum scholis traderentur — res tamen tractandas non neglegebat, sed in « de inventione » investigabat aperteque edicebat genuinam eloquentiam ex ipsa rerum copia praecipue oriri: « *Rerum enim copia verborum copiam gignit; ... facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce, natura ipsa, si modo est exercitata, [orator] delabitur* » (CIC. 3 *De Or.* 21, 125).

At disputet quisque, contendat sentiatque suo arbitrio. Nos, rati non modo utile, sed necessarium etiam esse stili rationem habere perspectam quicumque vult latina lingua callere uti sapienter, et exemplum sequuti antiquorum praeceptorum, Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani eorumque omnium, qui saeculorum decursu hac via optime ad scribendum instituti institutoresque exstiter, hanc tractationem accurare contendimus, sperantes eos laturam esse fructus, quos uberes usque attulit.

Et iam ad ipsam huius libri rationem declarandam veniamus.

Dictitabunt aliqui attulisse nos nimis multa styli praecepta obsoleta et quae nimium oleant antiquam rhetoricam seu artificium patens et nostris auribus intolerabile: ut sunt praecepta de verborum et sententiarum ordine in periodo; ut sunt tropi et figurae, et quae de imitatione vel de aliquo scriptorum genere dicuntur. At respondendum puto, haec quidem ad stylum latinum pertinere, minimeque obsoleta vel inutilia esse si sermonis latini *absoluta cognitio et tractatio* haberi velit. Ceterum prudentis magistri erit discipulorum mentes brevius diutius in singulis tractationis partibus sistere, prout fert rerum ipsarum momentum.

Illum secuti sumus ordinem, quem fere veteres ac novae tenent stili tractationes, ita ut a puro emendatoque sermone gressus fiat ad perspicuum, ad ornatum, ad aptum cuilibet scriptorum generi, atque ita illum consequamur, qui « *dicendi est modus melior* » (CIC. 3 *De Or.* 10, 37). Quae quadruplex partitio, ad absolutam stili tractationem necessaria, a nullo fere exponitur, cum veteres rhetorici libri in tertia et quarta paene toti consistant, reliquas (quae proprie ad stilum pertinent) brevissime attingant; recentiores autem tres priores explicant, quartam prorsus omittant.

Fusius in prima parte illustravimus varias rationes latine vertendi novas res et inventa, ut, aucta sermonis copia, latior quidem pateat, at una semper eademque, latinitas, eiusque consuetudo apud doctos saltem sacrorumque administratos, restitui servarique possit. Non enim volumus arida sterilisque latinae linguae cognitio acquiratur, sed qua fiat potestas non cum antiquis modo communicandi, sed commode cum viventibus etiam cuiusque gentis eruditis viris.

In ultima vero parte ea tantum attigimus, quae spectant praecipuorum dicendi generum stilum, non vero universam ea componendi rationem. Genus tamen epigraphicum, cuius utilitas et usus maiores esse videntur, plenius — verbis fere Morcellianis — declaravimus.

Praecepta exemplis explicavimus atque suffulsimus decerptis ex totius latinitatis optimis scriptoribus cum antiquis tum recentibus; veteres enim in omnibus mordicus sequuti (nam qui dantur iis meliores duces atque magistri?), quidquid etiam boni in recentioribus invenitur, minime negleximus. Multa reapse bona apud illos habentur, nova praesertim vocabula et dicendi modi, quibus novae cuiusque generis res, ad leges prorsus ac naturam latinae linguae, mirabili artificio enuntiantur.

Scimus profecto videri nos aliis laxiores, aliis sollicitiores puri sermonis exactores. Atqui, si minus probamus nimiam ciceronianorum verborum consecrationem, ut et sanior totius latini thesauri usus habeatur, et definitior vividior clarior exstet sermo noster latinus, ac denique ne absurde et iniuste neglegamus cum novas quas christiana fides attulit notiones et voces, tum reconditiores exactioresque veri formas, quas philosophia recentior indagavit detexit aptisque verbis expressit: ciceronianam sane legum firmitatem, periodorum numerum sententiarumque compositionem, ac, brevi, quidquid ad germanam latinitatis naturam pertinet, servandum putamus, ut succrescentibus in dies novis verborum floribus fructibusque, vicens et integra maneat arbor ista antiquissima eademque nova.

Si autem allatis exemplis interdum redundavimus, hoc moti fecimus consilio, ut ex illorum repetita lectione assuescerent discipuli percipere auribus ac mente proprium lati-

nae linguae sonum atque indolem, seu peculiarem res concipiendi exprimendique rationem.

Stilo denique uti conati sumus puro et perspicuo, non nimis quidem ornato, ut praeceptorem decet, sed ad rem de qua agitur apto. Latinitatem enim docere volumus non praeceptis modo, sed etiam exemplo praeerentes; neque in illorum sententiam discedimus, qui demisse corrupteque scribendum esse putant, ut sermo ad discipulorum inscitiam accommodetur. Quod si excusari potest in iis, qui disciplinas alias docentes, non ipsum sermonem, sed rem explicatam spectant tradendam: nullam profecto excusationem habet in iis, qui ipsam latinae linguae elegantiam usu et praeceptis docent. Si quis proinde aliquid difficultatis initio experiatur in hac latinitate intellegenda, cogitet se procul adhuc ab illa distare, at, conando, ad illam brevi accessurum eaque tandem usum eleganter.

Librorum index, quos in hac mea tractatione componenda prae oculis habui quosque plus minus volutavi, infra referetur. Non omnes tamen afferuntur libri, in quibus stili praeceptorum summula quaedam variis exercitationum generibus praeponitur; prope nihil enim continent proprii, nisi laborem exscribendi redigendique in compendium. Ceterum, ex illis etiam qui hic afferuntur, alii aliam rationem sequuntur et, latinam linguam cum propria cuiusque comparantes, vario interdum modo et loco cum exempla tum leges ipsas aptant atque declarant.

Mihi iam nihil aliud restat, humanissime lector, quam te rogare ut benigne, si censor es, de hoc libro iudices, optaque tibi, si discendi studio illum evolvas, ut eam brevi latinae linguae cognitionem consequaris, qua possis non *grammatice* modo, sed *latine* etiam scribere et loqui.
Vale.

LIBRORUM INDEX PRAECIPUORUM QUOS INSPEXI

- ARNOLD T. K. - G. G. BRADLEY, *A practical introduction to Latin prose composition*. London, Longmans, 1934.
- BARTOLI A., *Stilistica latina*. Milano, 1904.
- BASABE E., S. J., *Manual de Estilistica latina*. Madrid, 1947 (7^a edit.).
- BERNINI F., *Latino vivente : avviamento allo scrivere latino*. Torino, S. E. I., 1942.
- BERGER E., *Stylistique latine* (versio ex ling. german.). Paris, Klincksieck, 1942 (pluries ed.).
- BONINO G. B., *Manuale di stile latino*. Torino, Casanova, 1893.
- CIMA A., *Breve teoria dello stile latino*. Torino, Paravia, 1883.
- DE COLONIA D., S. J., *De arte rhetorica libri quinque*. (Pluries plurifariam edita).
- FAURI G., *Stilistica latina*. Torino, S. E. I., 1942 (6^a edit.).
- GANDINO G. B., *Lo stile latino mostrato con temi di versione, tratti da scrittori italiani del secolo XIX, corredati di regole ed osservazioni*. Torino, Paravia, 1893 (36^a edit. a. 1945).
- GUSTARELLI A., *Stilistica latina*. Livorno, Giusti, 1914 (2^a edit.).
- HEINECCIUS Io. Gottl., *Fundamenta stili cultioris*. (Pluries plurifariam edita ; 1^a ed. 1719).
- ISSELÉ J., *De latinorum sermone*, vol. II : Praecepta. Parisiis, Desclée, 1936.
- KLEUTGEN J., S. J., *Ars dicendi : priscorum potissimum praeceptis et exemplis illustrata*. Sylvae-Ducis, 1855 (2^a edit.) et alibi saepe.
- LAURAND L., S. J., *Manuel des Études grecques et latines*, T. II. Paris, Picard, 1946.

- MAROUZEAU I., *Traité de Stylistique latine*. Paris, Les Belles Lettres, 1946 (2^a edit.).
- NAEGELSBACH F., *Lateinische Stilistik für Deutsche*, 9^a editio ab Iw. Müller curata. Nuremberg, Geiger, 1905.
- NOMICO I., *De proprietatibus linguae latinae: regulae et observationes*. S. Stephani, 1907.
- PAOLI U. E., *Scrivere latino: guida a comporre e a tradurre in lingua latina*. Milano, Principato, 1948.
- POLCARI I., S. J., *Universae eloquentiae institutiones*. Neapoli, 1859 (2^a edit.).
- RAMORINO F., *La corretta latinità: teoria, temi e lessico*. Città di Castello, Albrighi-Segati, 1941 (5^a editi.).
- RENIEZ L., *La prose latine*. Paris, 1918.
- SCHMALZ I. H., *Lateinische Stilistik*, in STOLZ-SCHMALZ, *Lateinische Gramm.* München, Beck, 1928 (5^a edit.).
- TURSELLINI HOR., *Particulae latinae orationis*. (Pluries plurifariam editae, et plus minus apte emendatae et auctae).

Alios autem libros de aliqua re peculiari agentes, infra, suo loco, afferemus.

PROOEMIUM

DE STILO IN UNIVERSUM

1. Stili notio cum aliis affinibus notionibus non confundenda.

Antequam in ipsam stili notionem incumbimus illustrandam, quasdam alias notiones declarabimus, quae a multis saepe pro stilo promiscue accipiuntur. Confunditur enim stilus cum elocutione, dictione vel phrasi, expressione, tono, forma operis. Atqui

Elocutio est «idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio» (Cic. 1 *Inv.* VII, 9), seu est manifestatio vitae, qua gaudent res ipsae in animo eloquentis, aptis verbis exprompta.

Hinc elocutio instar cerae subiacet; innititur dotibus permanentibus [perspicuitate, proprietate, convenientia cum rebus et dicente]; est veluti tota orationis compago; ad verba simul et ad sententias refertur. Stilus vero ut imago supereminet cerae; variationibus subiicitur; est orationis quasi facies; magis sententiis quam verbis se se enuntiat.

In perfecta autem elocutione non deerit aliqua stili species probabilis.

Dictio vel *phrasis* est vox, verbum, locutio, singula vel coniuncta. Poterit esse alicubi dictio pulcherrima, ut in aliquo lexico, stilus vero aut nullus aut pessimus.

Expressio, quam recentiores dicunt, nihil aliud est quam plena et vivida *sui enuntiatio*, quae oritur ex intimo nexu inter elocutionem et res ipsas mente cogitatas.

Tonus etiam, quem dicunt, ab ipso stilo distinguitur: est enim quaedam stili conformatio, moralem loquentis sta-

tum significans, aut operis pondus, ducta metaphora ab humanae vocis inflexione.

Operis autem forma, in litteraria lucubratione, est universa delineatio, spectata simul cum elocutione.

2. Stili notio propria et metaphorica.

*Stilus*¹ tandem, quem veteres summique magistri Cicero et Quintilianus, *genus orationis* aut *genus dicendi* vocitabant, est ille character peculiaris in elocutione impressus, qui oritur cum ex modo sentiendi, concipiendi et ratiocinandi auctoris vel gentis proprio, tum etiam ex rei cogitatae natura.

Ut autem eius notionem melius videamus, dicendum est stilum in latina lingua

- a) *proprie*, poni saepissime pro instrumento scriptorio ferreo vel aeneo, quo in ceratis tabulis veteres scribebant, quod ab una parte acuminatum erat ad litteras formandas, ab altera obtusum et planum ad delendum, si opus esset, quod scriptum fuerat et ceram rursus complanandam : alio nomine *graphium* dictum est.

E. g. *stilum prehendere* (CIC. *Br.* 24, 93) ;

stilum vertere (CIC. 4 *Verr.* 41 ; HOR. I *Sat.* 10, 72) :
est eius partem planam scriptis impingere, ut aliquid deleatur, inducatur, mutetur.

- b) *translate*, per metonymiam, qua est instrumentum scriptorium, poni

- 1) pro ipso scribendi exercitio ;

V. g. *Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister* (CIC. I *De Or.* 33, 150) ;

¹ « Sunt qui scribunt *stylus* per *y* (praesertim qua est instrumentum scriptorium), ducunt namque vocem a gr. *στῦλος* ; quamquam, cum in latinam linguam vox translata sit, consuetudo obtinuit ut latinis etiam litteris scriberetur. Ita *Forcellinus*, et bene quidem, si haec sit vera nominis origo ; at longe probabilius, cum prior latinae vocis syllaba, non longa, ut in graeca allata, sed brevis sit, et rectius

- 2) pro *ipsa forma scriptiois* seu structura verborum et sententiarum in oratione, caractere, genere dicendi proprio.

3. Stili divisio secundum varias vocis acceptiones.

Non solum autem *quodlibet scriptiois genus* peculiarem dicendi formam, seu proprium pulchri exprimendi modum sibi vindicat, sed et quaelibet gens et lingua et, in ea, quilibet auctor in singulis scriptiois generibus illam ipsam formam certo et proprio modo exequitur; quare stilus dici potest:

- a) tum *peculiaris cuiusque scriptiois dicendi forma*; debet enim rebus pertractandis aptari, quae cum sint inter se diversae, i. e. plus minus humiles, mediocres, sublimes, et ipse pariter diversus erit secundum res et genera scriptiois, quae de diversis rebus agunt;
- b) tum *modus ille proprius in singulis gentium linguis*, cogitandi et exprimendi res. Unaquaeque enim gens et lingua naturam et colorem suum habet. Sic habetur stilus Atticus (« orationes attico stilo scriptae » *Brut.* 45, 167), latinus, semiticus, etc.
- c) tum *peculiaris cuiusque scriptoris scribendi ratio*, ut stilus ciceronianus, livianus, caesarianus, Dantis, Petrarchae, etc.

Dicitur hic stilus *personalis*, nam manifestat modum sentiendi et cogitandi et exprimendi uniuscuiusque artificis proprium, in quo proinde notae singulares eminent seu individuae, quibus alius ab alio secernitur. Hoc singulare discrimen evidentius apparet in iis artibus, quae longe pluribus adminiculis abundant huic manifestationi idoneis, uti sunt *pictura* et *poesis*. In hunc sensum dixisse videtur Buffon: « Le style c'est l'homme »: qualis est ipse homo, talis eius oratio est. Eiusmodi stili personalis forma potest esse varia pro ingeniorum varietate; imo plus minus probabilis et ve-

et communius per *i* scribatur, ducunt alii a rad. Skr. *stig*, pungo, unde et graeca *στίξω* (*th.* *στίγ*) eiusdem significationis, et lat. *stimulus* pro *stigmulus*, et per contractionem *stilus* (Lexicon Forcell.).

nusta esse potest, pro artificis maiore minoreve ingenio ac peritia. Tanto venustior fulgebit character hic personalis, quanto magis virtutibus elocutionis, perspicuitati, proprietati, convenientiae cum genere scriptio-
 tionis et argumento satisfecerit. His autem legibus libertas scriptoris non nimis angustatur; nam intra hos limites adhuc patet amplissimus ambitus in quo singuli scriptores evagentur ac suas exserant evolvant-
 que facultates, ita ut semper alii ab aliis secernantur ac propriam veluti faciem prae se ferre queant.

4. De quo stilo hic agamus et an possit doceri.

Patet nostras institutiones de illo stilo agere, qui peculiarem dicit loquendi et scribendi formam, quam unumquodque scriptio-
 nis genus induit secundum propriam dicendi rationem populi romani, seu secundum indolem proprietatesque quibus lingua latina ab aliis distinguitur.

Quamvis autem ad assequendam latinae eloquentiae facultatem permultum faciat ingenii ubertas assiduaque exercitatio¹; *falluntur* tamen profecto *ii qui eloquentiae laudem* omnem in quodam ingenii atque exercitationis genere unice esse ponendam, neque eam *arte ulla obtineri posse arbitrantur*.

Cum enim omnis stili pulchritudo, seu, ut ait Cicero (3 *De Or.* 10, 37) «dicendi modus melior», ex materia seu verborum excellentia (quae ut sint pura et latina et emendate in sententiis usurpata, grammatica curat), ex sententiarum seu partium iusta proportionem, apto nexu ac dispositione oriatur; cumque haec omnia regulis quibusdam certis atque indubiis describi possint: consequens sane est, ut et oratio arte constet, ideoque certa possint ostendi cultioris stili fundamenta et tradi praecepta, quibus scriptor bene instructus, plenius et facilius poterit ingenii sui vim explicare eximiaeque conficere opera.

Non ergo agimus de stilo personali qui arte non compara-

¹ «Cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet exsistere» (Cic. *Pro Archia*, c. 7).

tur sed suppleatur a natura ; excoli tamen, acui, dirigi, a vitiis custodiri, corrigi perficique institutione potest, at caute et varie, ne forte necessaria inveniendi disponendique libertas ingenio adimatur.

5. De stilo et grammatica.

Recte monet Quintilianus (1 *Inst. Orat.* VI, 27) « *aliud esse latine, aliud grammatice loqui* ».

a) *Grammatice* enim loqui et scribere, idem est ac *emendate* seu, ut ait Cicero (3 *De Or.* 10, 37) *pure et latine* adhibere materiam seu verba, quae stilus perspicue et ornate disponit ut apte exprimant dicenda. Dicit ergo

1) emendatum usum in verbis flectendis et nominibus declinandis ; in casibus, temporibus modisque usurpandis ; in vocabulorum recta seu latina pronuntiandi, scribendi, derivandi, componendi ratione.

2) verborum delectum, quae sint *pura* seu *latina*, ita ut excludantur verba vetusta, novata, barbaras, rara, etc. quae quomodocumque sermonis latini puritatem corrumpunt.

b) *Latine* autem loqui hic accipitur pro *perspicue, ornate* et *apte* ut habet Cicero (*ibid.*), totum nempe propriumque dicit latinum dicendi genus.

6. Quaedam ex grammatica recolenda.

Etsi a Cicerone et ab antiquis rhetoribus, sermonis *puritas* et *perspicuitas* (= *proprietas*) grammaticis relinquantur, utpote « quae cognitionem habeant facilem, usum necessarium » (3 *De Or.* 10, 38), nos eas ut stili virtutes fusius infra explicabimus, cum nec grammatici nostri dedita opera et ex ordine rem absolvant, vel paucissimis dumtaxat verbis hic atque illic prout datur occasio ; nec minimi ceteroquin momenti sit ad optimam latinitatem comparandam. Non enim possumus « sperare, qui latine non possit, hunc ornate esse dicturum ; neque vero, qui non dicat quod intellegamus, hunc posse quod admiremur dicere » (Cic. *ibid.*).

Hic tamen, quasi in limine ipso nostrae de stilo tractationis, eum, qui latine cupiat loqui et scribere, monere non praetermittimus pauca quaedam, quae minime sperni debent. Etenim negligenda non sunt minora, sine quibus maiora constare non possunt.

- a) Probe sciat in primis quem casum aut modum, quod tempus apud optimos latinae linguae scriptores recipiant orationis partes; quam variam significationem acquirant pro casuum modorumque varietate; uno verbo *integram grammaticam cognitam habeat*, non ut ineptus fiat rerum minutarum exactor, sed quo securius possit et elegantius optimam invenire formam ad mentem suam perspicue, ornate, apte aperiendam.
- b) Ea deinde *pronuntiandi ratione utatur*, quae «*romana*» vocatur quaeque universalius in usu est et ipsa Ecclesiae Romanae auctoritate commendatur. Pronuntiatio enim, sicuti orthographia, «*consuetudini servit, ideoque saepe mutata est*» (Qt. I, 7). At vero ex quo Romana Ecclesia saeculo III-IV latinitatis heres custosque facta est, latinae linguae pronuntiatio in Italia purior quam in ceteris regionibus permansit et quae nunc Romae viget, eadem fere saeculo III-IV Romae vigeat. Non est ideo putidius in usu resumenda ea pronuntiandi ratio quae aetate XII Tabularum vel Ciceronis invalebat. eoque minus pronuntiari potest lingua latina eadem ratione, qua linguae vernaculae efferuntur.
- c) Illam, praeterea, scribendi rationem seu *orthographiam* eligat quae, linguae et etymologiae rationem secuta, post renatas litteras a pluribus eruditis in XVII usque saeculum fuit ex vetustis monumentis i. e. nummis, marmoribus, tabulis, membranis, veterumque grammaticorum placitis collecta et probata, et a doctissimis etiam nostrae aetatis viris adhuc industrie servatur. Non enim pro lubito est immutanda, sed tantum vir acuto et subtili ingenio praeditus, vocabulorum potest investigare notionem, naturam introspicere, expetere vim et, unde originem ducant, perquirere.

d) Eam insuper *interpungendi certam et constantem rationem sequatur*, quae fere apud linguas recentes viget quaeque periodorum membra et incisa apte distinguat, ut « facile legi et proferri » (ARIST. *Rhet.* III, 5), immo, addiderim, ut et intellegi possit quod scriptum est. Non enim in hac etiam re disquirendum est quae fuerit antiquorum interpungendi ratio [certe rationi consentanea et nostrae non dissimili], sed consuetudini standum est et claritati prospiciendum. Periodus igitur ne sit tam virgulis concisus ut singultim procedere sensusque dilabi et evanescere videatur; nec, contra, illis ita careat, ut legentem exanimet spiritu intercluso.

e) *uniformem denique rationem laudabiliter sequatur*

- 1) in *litteris maiusculis* adhibendis initio orationis vel periodi vel nominis proprii (personae, gentis, urbium, etc.) ut mos est nostra aetate, non autem omnium substantivorum, ut in lingua germanica fit;
- 2) in *distinguendis litteris v et u* secundum consuetudinem recentium lexicorum et scriptorum; non est enim putidius insistendum in vetere usu, at tempori et claritati parcendum;
- 3) in vocibus per notas scribendis vel dividendis atque in iis omnibus ipsius scriptionis dotibus, ex quibus tantum splendoris et claritatis consequitur.

Generatim in his omnibus consuetudo servetur, quam tenent nostrae aetatis vocabularia latina probatissima, editiones scriptorum latinorum a criticis recognitae, pontificum documentorum scriptores, penes quos fere unos latine scribendi usus servatus viget.

7. Quid prosit stili disciplina.

Magnas haec disciplina utilitates affert. Nam et mentem ad cognoscendam exprimendamque pulchritudinem excitat, et iudicium acuit; scriptorum plenior intellegentiam ape-

rit atque in omni dicendi scribendique exercitatione quasi facem praefert.

Naturae dona inseri quidem et donari ab arte non possunt, sed limari tamen et perfici. Nam et quae bona sunt, fieri meliora possunt doctrina, et quae non sunt optima, aliquo modo acui tamen et corrigi (cfr. 1 *De Or.* 25, 114).

Habet haec stili disciplina « quaedam quasi ad commendandum oratorem, quo quidque referat et quo intuens ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberret » (1 *De Or.* 22, 145), atque ita fit « non ut ad reperiendum, quid dicamus, arte ducamur » — hoc enim ingenium praestat — « sed ut ea quae natura, quae studio, quae exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut prava intellegamus » (2 *De Or.* 57, 232).

Si ergo ad dicendi facultatem et elegantiam comparandam necessariae sunt naturae dotes et efficacissima est oratorum et poetarum lectio diuturna scribendique exercitatio, valde etiam utilis erit ars seu disciplina praeceptorum dicendi.

8. Stili virtutes ac veluti partes.

Quod Quintilianus (cfr. n. 5) dixit « *latine loqui* », plenius et clarius Cicero explicaverat his verbis : in oratione seu stilo « praecipitur primum ut *pure* et *latine* loquamur ; deinde ut *plane* et *dilucide* ; tum ut *ornate* ; post ad rerum dignitatem *apte* et *quasi decore* » (1 *De Or.* 23, 144). Idem repetit in l. 3, c. 10, 37 : « quinam dicendi est modus melior ... quam ut *latine*, ut *plane*, ut *ornate*, ut ad id quodcumque agetur, *apte congruenterque* dicamus ? ».

Quamvis autem Cicero, ut vidimus, ceterique veteres rhetores ornatam aptamque orationem praecipue spectent, deferantque ad grammaticos sermonem purum et perspicuum (« rationem non arbitror expectari a me puri dilucidique sermonis » 3 *De Or.* 10, 38) ; nos cum recentioribus singulas quattuor stili virtutes in congruentibus tractationis nostrae partibus esse nobis illustrandas putamus, ut absoluta rei disciplina in unum contracta habeatur.

9. Tractationis ordo ex allatis Ciceronis verbis desumptus.

Pars prima : De pura et emendata oratione

(aliis modis dicitur : *integritas vel sinceritas orationis ;
elegantia verborum ; pura et incorrupta dicendi consue-
tudo ; purus sermo ; purus et emendatus sermo ; pure
et emendate loqui ; latine loqui ; latinitas*).

Sermo autem purus excludit :

- 1) verba prisca et vetusta seu archaismos
- 2) verba novata seu neologismos, qui dicuntur
- 3) verba adventitia et barbara seu barbarismos
- 4) verba poëtica (in soluta oratione), *scholastica*, rara etc.

Pars altera : De perspicuitate orationis

- 1) De perspicuitate rerum
 - a) De perspicua cogitatione
 - b) De apta rerum copia et dispositione
- 2) De perspicuitate verborum singulorum seu simplicium
 - a) De verbis usitatis
 - b) De proprietate verborum
- 3) De perspicuitate sententiae et periodi
 - a) De verborum compositione in sententia
 - b) De sententiarum compositione in periodo { { simplici
composita

Pars tertia : De ornatu orationis

- 1) Quid ornatus et ex quibus oriatur
- 2) De ornatu ex ipso genere et delectu verborum
 - a) ex verbis inusitatis, novatis, propriis etc.
 - b) ex verbis translatis { { I. De tropis
II. De figuris { { a) verborum
b) sententiarum
- c) nonnulla alia ornamenta

- 3) De ornatu ex compositione verborum :
 - a) ex ordinata collocatione verborum seu ex artificio contexendae sententiae et periodi
 - b) ex numero oratorio
- 4) De proprietatibus stili quae ad ornatum pertinent
- 5) De vitiis quae ex pravo ornatus usu nascuntur.

Pars quarta : De oratione apta

- 1) De stilo, ut est apta dicendi forma, propria cuiusque auctoris in singulis scriptionum generibus
 - a) De stilo ut est cuiusque auctoris scribendi ratio
 - b) De ratione stili comparandi
- 2) De stilo ut est apta et peculiaris dicendi forma pro quolibet scriptionis genere
 - a) Divisiones stili ut est scriptionum forma
 - b) De stili ratione in re didascalica, historica, epistolari etc. :
 - 1) De epistolarum stilo
 - 2) De tractationum stilo
 - 3) De stilo historicarum scriptionum
 - 4) De stilo inscriptionum.

PARS PRIMA

De oratione pura et emendata

CAPUT 1

DE PURITATIS NOTIONE ET FONTIBUS

10. Quid puritatis nomine intellegatur.

Puritas est purgatā dicendi ratio iuxta usum sermonis, quo loqui volumus.

Puritas ergo linguae latinae recte dicitur *latinitas*, quam *Rhetor. Ad Her.* IV, 17 definit: « quae sermonem purum conservat ab omni vitio remotum ». Hinc Cicero loquitur de « elegantia verborum *latinorum* » (*Br.* 75, 261), de « incorrupta *latini* sermonis integritate » (*ib.* 35, 132), « pure et emendate loqui, hoc est *latine* » (*De opt. gen. or.* 2. 4). Et Quintilianus idem repetit (VIII, 1, 1): « in singulis verbis intuendum est ut sint *latina* ».

Ut autem apud Graecos purior et elegantior graeca lingua eiusque pronuntiatio Athenis habebatur, italica item in Etruria habetur atque ita in aliis fere nationibus; sic latinitas Romae, ubi primum orta erat, purior excolebatur et Roma quasi norma loquendi latine facta est. Quare latinitas dicit paulatim « observationem (seu normam) incorrupte loquendi secundum *romanam* linguam » (MAX. VICTORINUS, *De re gramm.*). *Latinitas* fit *romanitas* (seu lingua urbis Romae) seu *urbanitas*: « verba omnia ... huius alumnum *urbis* oleant, ut oratio *romana* plane videatur, non civitate donata » (Qt. VIII, 1. 3). Quicumque autem est non orator, sed etiam tantum ingenuus civis romanus, oportet, de sententia Ciceronis (*Br.* 75, 261), integra latinitate utatur.

11. In quo consistat latinitas.

« Ut latine loquamur — ait Cicero 3 *De Or.* 11, 40-41 —, non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quae

nemo iure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit, sed etiam lingua et spiritus et vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari neglegentius; nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius».

Ex quibus verbis patet *latinitatem* seu linguae latinae *puritatem consistere*:

- a) in delectu verborum « quae nemo iure reprehendat » i. e. quae sint optimorum scriptorum consuetudini accommodata, nempe pura seu latina seu urbana vel romana: de qua re mox agemus;
- b) in legibus morphologicis et syntacticis servatis;
- c) in pronuntiandi ratione, omnium consensu optima; quae, ex Ciceronis et Quintiliani sententia, romana erat. « Cum sit quaedam certa vox (= pronuntiandi ratio) Romani generis Urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus... Loqui non aspere, non vaste, (= late aperto ore et hianti), non rustice, non hiulce (= interrupte, intercise), sed presse (= clare, expresse, distincte) et aequabiliter et leniter » (3 *De or.* 12, 44-45).

« Pronuntiationis ratio emendata erit, idest vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, iucundum, urbanum, idest in quo nulla rusticitas neque peregrinitas resonet » (Qt. XI, c. 3).

Nostro etiam tempore, ut vidimus, pronuntiandi ratio *romana* quae dicitur, inter alias omnes, quae aliquid peregrinum sonant et minus cum ingenio latinae linguae congruens, magis et usu et claritate et SS. Pontificum commendatione suadetur.

12. Qua ratione puri latinique sermonis usum assequamur.

Hoc non pauci eruditi viri nobis ostendere conati sunt, in integros libros colligentes voces quacunque ratione corruptas et vitiosas¹.

Cum vero longius fastidiosiusque sit singula vocabula minus pura expendere ut ea vitare possimus, satius erit verba quomodocumque non latina in classes distribuere et regulas quasdam tradere, quibus verba pura ab inquinatis dignoscere possimus eademque vel caute usurpare, vel prorsus defugere.

Integritatem igitur verborum triplex vitium plerumque commaculat. Si enim verborum usum spectamus, excludenda sunt quae vel exoleverunt (*verba vetusta*), vel nuper in latinam linguam inducta sunt sine necessitate ideoque in ea non recepta (*verba novata*). Si vero ad locum attendimus, in quo purius usurpantur (Romam), excluduntur *verba peregrina* et externa omnia non omnino necessaria. Pauca postremo dicemus de aliis verborum generibus, quae sermonis integritatem foedant.

¹ Cfr. *Antibarbaros* CHRISTIANI CELLARII, NOLTENII; KREBS-I. H. SCHMALZ, *Antibarbarus der lat. Sprache*⁷, Basel, 1905; G. B. BONINO, *Piccolo antibarbaro*, Torino, Chiantore, 1943; F. RAMORINO, *Lessico della corretta latinità*, in: «La corretta latinità», Città di Castello, Albrighi Segati, 1941 (5^a edit.).

CAPUT II

DE VERBIS INUSITATIS

13. De usu verborum inusitatorum.

« Inusitata sunt prisca fere ac vetustate ab usu cotidiani sermonis iam diu intermissa » (3 *De Or.* 38, 153), et vocantur etiam *vetusta, obsoleta, abolita atque abrogata*.

- a) Generatim « non erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur » (3 *De Or.* 10, 39); « abolita atque abrogata (vocabula) retinere insolentiae cuiusdam est et frivolae in parvis iactantiae » (Qt. I, 6, 20).
- b) Interdum tamen ea revocare possumus, si id fiet necessitate, aut saltem varietate « ad illustrandam atque exornandam orationem » (3 *De Or.* 38, 152) cui « afferunt splendorem, auctoritatem (Qt. VIII, 3. 25), dignitatem, maiestatem aliquam non sine delectatione » (Qt. I, 6. 39), quamque « sanctiorem et magis admirabilem faciunt » (Qt. VIII, 3. 24) colore, memoria, gravitate, auctoritate antiquitatis. Sic praesertim Sallustius, Lucretius, Tacitus etc.
- c) Fiat tamen parce, non manifeste ut appareat affectatio, liberius poëtice quam in soluta oratione (3 *De Or.* 38, 153), in loco, et multo delectu, non ea repetendo ex latinitate XII tabularum aut carminum fratrum Arvalium: quare haec venia claris tantum scriptoribus tribuitur, quos imitari aliqua in re licet.
- d) Nisi agatur de formulis sacris legalibus, de sollemnibus sacris verbis et similibus iam usu receptis (v. g. *Di me-*

litora duint [CIC. *Cat.* I, 9], *Di faxint* [ID. *Verr.* 3, 35], *Di te perduint, faxti, dixti, intellexti*, etc.), morem sequuti optimorum scriptorum, veniam a lectore petamus hoc modo : « ut Enniano, Plautino, Terentiano etc. verbo utar ; ut est apud Ennium ... ; ut ait, appellat Naevius », etc.

14. Praecipua quaedam verba obsoleta, verborum formae et modi inusitati.

- a) Nominum mutatae terminationes :
 genitivus in *ai* pro *ae* (*aulai, pictai*)
 dativus f. *alterae* pro *alteri* (PLAUT., TER.)
 nominativus in *-udo* pro *-tas, -ties* (*celeritudo, vanitudo vastitudo, canitudo*)
-umus = *-imus* (*optumus, maxumus* ... (freq. in SALL).
- b) Formae et modi verborum mutati :
audibam, scibo, audibo = *audiebam, sciam*, etc.
fuat vel *siet* = *sit*
venerare, aggredere, imitare = *venerari, aggredi, imitari*
 infinitum passivum in *-ier* pro *-i* (*nitier, dedier, agier, testarier, rogarier, nectier*, etc, = *niti, dedi, agi, testari*, etc.
 Lucretius frequentius (49^{es}), moderate Virgilius, Hor., Ov. hac forma utuntur. Formae *-ier* infiniti et *-ēre* pro *erunt* perfecti, aptiores sunt ad dactylum quinti pedis exametri formandum.
ēre pro *erunt* in 3^a pers. plur. perfecti temporis ; qua terminatione, antiqua et poëtica, raro utitur Cicero, Caesar bis tantum, Vitruvius numquam ; Livius eam praefert, Tacitus 42^{es} adhibet, Sallustius semper. Apud poëtas exametricos, epicos, habetur *ēre* 2183^{es}, et *-erunt* 557^{es} ¹.
 gerundia in *-undus* etc. pro *-endus* (*faciundi* ...)
advortere, vorsus ... pro : *advertere, versus* ...
fungi officium suum pro : *furgi officio suo*.

¹ Cf. MAROUZEAU, *Traité de styl. lat.* p. 126 (2^a edit.).

2 — AE. SPRINGHETTI, S. I. - *Institutiones Stili Latini*.

c) Quaedam vocabula omnino obsoleta :

cascus = priscus, vetus

cluere = dici, appellari

clepere = furari (Cic. semel)

dolentia = dolor

habentia-ae = opes, bona fortunae

topper = cito

induare = dividere

calo = voco

manus = bonus.

d) Quaedam voces quae possunt interdum usurpari :

actutum = cito, illico, confestim

adagium = proverbium

ad amussim = accurate, exacte

apprime = in primis, maxime

argutari vel *argutare* = fabulari (Prop., Petr.)

autumare = dicere, adfirmare

cordatus = sincerus, candidus

cumulatim = cumulate

dispalari = huc illuc erro, vagor (bis Nep.)

dispudet = valde pudet

repertor = inventor (Varr., Sall., cet.)

CAPUT III

DE VERBIS NOVATIS

Art. I. DE VERBIS NOVATIS IN UNIVERSUM

15. Verborum novatorum notio et divisio.

Neologismorum alii sunt et vocantur *verba novata*, vulgo *neologismi verbales*, seu vocabula et locutiones, quae vel aetate proxime inferiore aetati aureae eoque magis senioribus saeculis invecta sunt ;
vel ex recentibus linguis mutuata sunt et in formam latinae redacta.

Alii vocantur *significationes novatae*, vulgo *neologismi significatione* seu *quoad sensum*. Haec sunt vocabula, locutiones, etc. antiqua quidem, sed ad novum quid significandum traducta,

vel ex affinitate et similitudine, praesertim in translationibus : de quibus agemus infra n. 41

vel sine analogia significationis : quod fieri nequit, ne verborum et totius linguae significatio corrumpatur.

Transitus ex una (primigenia) in aliam significationem analogicam in multis vocabulis iam factus est apud antiquos optimos scriptores, praesertim *translatione* ; et cum pertineant ad thesaurum latinitatis, nihil est contra dicendum. Non vero datur nunc etiam licentia, ut unusquisque ex linguae imperitia, vocabula et constructiones ad novas significationes arbitrio suo detorqueat, vel ad aliquid exprimendum novas inducat formas non necessarias vel aliud significantes. En, v. g. quomodo pronomen reciprocum semper minus bene redditum est novis non necessariis modis primum, dein prorsus significatione mutatis :

- pueri amant *inter se* ; homines invident *inter se*, vel : homines hominibus invident (Cic.)
 pueri (*se*) *invicem* amant (Plin., Qt., Suet. : versio minus bona)
 pueri *se* amant *inter se* (Recentes : versio – non latina – facta ad verbum ex lingua vernacula)
 pueri *se amant* (Recentes : significatio novata et omnino alia a classicorum significatione [= *sunt unius utilitatis propriae studiosi* ; ital. *egoisti*] ; prorsus reicienda.

16. Antiquorum scriptorum de illis sententia.

Caesar (apud GELL. I, 104,) severe monet : « tamquam scopulum sic fuge inauditum atque insolens verbum ». At intellegendus esse videtur agi de verbis novatis sine necessitate vel utilitate, insolenter et indecore, cum et ipse quaedam in suis Commentariis inducat, raro tamen et quibusdam adhibitis remediis, ut infra videbimus (n. 58).

CICERO haec habet : « sunt ... rebus novis nova ponenda nomina » (1 *De Nat. Deor.* 17, 44) ; et asserit verba nova ab oratore afferri posse « ad illustrandam et exornandam orationem » (3 *De Or.* 38, 152). Quaedam et ipse nova verba effinxit de rebus praesertim philosophicis, ut *beatitudo*, *beatitas*, vel iocosa in Epistolis, ut *sullaturio*, *proscripturio*, *pseudocato*, *appietas*, *lentulitas*, *facteon* etc. ; at generatim omnino cavit verba nova et in Orationibus nullum ipse novum verbum effinxit.

HORATIUS pariter licentiam novandi verba ex necessitate, clare asserit, explicat, defendit (*A. P.* 46-72) :

- 46 « In verbis etiam tenuis cautusque serendis
 dixeris egregie, notum si callida verbum
 reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est
 indiciis monstrare recentibus abdita rerum, et
 50 fingere cinctutis non exaudita Cethegis
 continget, dabiturque licentia sumpta pudenter ;
 et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
 Graeco fonte cadent parce detorta. Quid autem
 Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademptum
 55 Vergilio Varioque ? Ego cur, adquirere pauca
 si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni

sermonem patrium ditaverit et nova rerum nomina protulerit? *Licuit semperque licebit signatum praesente nota producere nomen.*

- 60 Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
et iuvenum ritu florent modo nata vigentque ...
- 70 Multa renascentur, quae iam cecidere cadentque
quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi ».

Aetate argentea, hanc etiam ob causam, quod oratores poëseos fines ingrederentur, multa nova verba novaeque verborum significationes fictae sunt.

QUINTILIANUS igitur, magis indulgens hac in re, haec memoratu digna habet in suis *Instit. Orat.* lib. VIII, c. 3, n. 33-37: « Fingere (verba) ... Graecis magis concessum est ... Nostri autem, in iungendo aut derivando paullum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. ... Multa ex Graeco formata nova, ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quaedam admodum videntur, ut *ens* et *essentia*: quae cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. Quaedam tamen perdurant. Nam et quae vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, et quaedam in usu perquam recentia, ut Messala primus *reatum*, *munerarium* Augustus primus, dixerunt. *Piraticam* quoque, ut *musicam* et *fabricam*, dici adhuc dubitabant mei praeceptores. *Favorem* et *urbanum* Cicero nova credit. ... Idem putat a Terentio primum dictum esse *obsequium*. Caecilius ad Sisennam, *albenti caelo*. *Cervicem* videtur Hortensius primus dixisse; nam veteres pluraliter appellabant.

« Audendum itaque. Neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam cum sint eorum alia (ut dicit Cicero – 3 *De Or.* 38, 152 –) nativa, id est, quae significata sunt primo sensu; alia reperta, quae ex his facta sunt, ut iam nobis ponere alia, quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit, at *derivare*, *flectere*, *coniungere*, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? ».

Prudentissima quidem verba, quaeque etiam hodie

valent. Nam « si auctoribus timiditas obstitisset, ut nullis novis uterentur dictionibus, ipsa natura et significatione rerum exigente, perpetuis latinitas angustius damnata mansisset » (PRISCIAN. 8, p. Putsch), atque maneret.

Serioribus aetatibus pariter plurima verba nova novaeque significationes verborum in linguam latinam intulit *religio christiana*, ut novas rerum ad animum Deumque spectantium notiones exprimeret.

17. Quid dicendum de verbis novatis aetatibus aurea et argentea.

Verborum quae *nova*¹ vocantur, non una est ratio; quia quae vetera nunc sunt, aliquando fuerunt nova: ideoque videndum est quando recipi quidque coeperit. Nam

- a) quae aurea aetate irrepserunt in latinam linguam, ea tuto usurpantur a nobis;
- b) quae autem proximo sequente saeculo (a. 14-117 p. C.), decrescente iam puritate sermonis latini, in usu esse coeperunt, *minus eleganter* usurpantur si ad idem significandum puriora verba aetatis classicae dentur.

Attamen, ex recta mente VOSSII (*Partit. Orat.* IV, c. 1), etsi haec vocabula interdicenda videntur puerili aetati ut ad purum sermonem assuescat; in iis quibus iudicium firmavit aetas, ferenda potius, quam vel laudanda vel culpanda. Puri enim sermonis exactio nostra diligentissima quidem, at minime molesta et putida esse debet; neque, ex altera parte, *latina* erit oratio si vocabulis cuiusvis aetatis inconsulte et promiscue consuatur.

¹ Animadvertamus necesse est veteres scriptores (CIC., HOR., QUINT.), cum loquuntur de verbis novis admittendis in lingua latina, non agi de verbis quae vulgus minus legitime fingit in lingua viva, sed de verbis novis ab aliquo scriptore ad artem factis: « novantur verba, quae ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt » (CIC. 3 *De Or.*, 38, 154); et quidem praesertim ex graeco fonte mutuatis (LUCR. I, 136 ss.; HOR. *A. P.* 53).

18. Quid dicendum de verbis novatis aetatibus latinae linguae senioribus.

Quae vero collapsa prope sermone latino ac decrepita quasi aetate, irrepserunt verba, qualia apud Symmachum et Sidonium reliquosque scriptores aetatis ferreae et luteae sunt multa, parcius et attentius sunt adhibenda, et quidem illa tantum

- a) quae ex necessitate ficta sunt, cum rem significant, quae nullum vocabulum vel locutionem congruentem habeat aureae aut argenteae aut etiam recentioris aetatis i. e. apud optimos scriptores latinos post renatas litteras.
- b) vel quae ex magna utilitate sunt novata: ut saepe accidit in rebus christianis exprimendis;
- c) quae sunt legitime formata, i. e. secundum indolem et leges grammaticas linguae latinae.

Copia enim vocum novarum et peregrinitas in latinitatem infusa nihil conducere ad optimos latinos scriptores intellegendos atque imitandos, atque adeo vehementer officeret: ex ea enim fieret, ut longo temporis decursu barbaries omnino infuscaret latinam linguam, quae propterea, et amplitudine ipsa difficilius incredibiliter evaderet, et novitate speciem habitumque mutaret, quin ulla in ea amplius remaneret cum primis illis parentibus suis similitudo.

Artic. II. DE VERBIS NOVATIS CHRISTIANIS

19. Quae fuerit necessitas Christianis novandi verba.

Ut stilus cuiusque scriptoris exprimit eius ingenium cultumque: ita etiam litterae ac lingua ipsa cuiusque populi atque aetatis, eius ingenium, indolem, vitae cultum clare manifestant.

Itaque « cum Romani bellicis laboribus durati et severioribus disciplinis intenti, ad proferendos ditionis fines

unice spectarent, imperiosissimam linguam usurparunt, quae castrense quidpiam et superbum sonaret, eademque maiestatem, elegantiam atque amplitudinem illam praeseferret, quae principem populum et omnium gentium victorem ac dominum deceret. Ad haec cum in omnibus consiliis et factis utilitatem quaererent Romani, atque ad ea numquam adsurgerent, quae sub sensus non cadunt, necessario fieri debuit, ut latinae litterae, gentis naturam et publicos mores imitatae, haud ita facile ea reciperent, quae a materia essent abstracta ... ».

At scriptoribus christianis «longe alia erant significanda quam quae veteres graeci et romani philosophi homines docuissent. A foedo libidinum coeno, a lenociniis cupiditatum abstrahendi erant mortales, et Christi exemplo exercendi in asperitate, in labore, in patientia animi et corporis. Illi ad honestam animi demissionem, ad abstinentiam erant cohortandi, ad humanitatem excolendi et mitigandi, quorum animos arrogantia, avaritia, odium acerrime stimulabant. Postremo a sensuum illecebris ad castissimas animi voluptates, a terrestribus ad coelestia erigendi. Nova praeterea dogmata, inaudita mysteria, quibus divini Numinis natura adumbratur, insolitae caerimoniae, inusitata sacrificia fecerunt ut non modo insolentia quaedam vocabula ponerentur, aut licentius conficta, aut graeco fonte putidius derivata, aut ex duabus linguis inepte coalescentia, sed complura a superioribus iam usurpata, a propria significatione in aliam detorquerentur ...

Ita christianae sapientiae scriptores, graecis iuxta ac latinis litteris docti, Romanorum sermonem in rem suam convertendo, multa novarunt tum in singulis vocibus, tum in locutionibus, tum vero in universo orationis contextu: unde nova quasi lingua exstitit, christianis placitis et ritibus significandis aptissima »¹.

20. Damnanda nimia quorundam religio in usurpandis vocibus christianis.

Morem secuti optimorum scriptorum, qui, post renatas litteras latinas, de rebus ad christianam fidem et Ecclesiam

¹ TH. VALLAURI, in *Oratione De latinis christianae sapientiae scriptoribus*, p. 218 sqq.

pertinentibus egerunt, damnandam censemus « nimiam quorundam religionem¹, qui ab usurpandis quibusdam vocibus ab Ecclesia quodammodo consecratis abstinendum putant ... perinde quasi orationem dehonestent, et minus latinam reddant. Sed in hoc non scientia ducuntur, sed ignoratione falluntur, non animadvertentes totam latinae linguae vim nequaquam in solo vocabulo esse sitam, sed ex apta cum apposito verbo coagmentatione exsistere, qua fit, ut aliqua minus latina vox quodammodo evadat, et latine afferatur »².

Non omnia ad veterum trutinam normamque vocanda, non res verbis, sed verba rebus aptanda sunt, cum sermonis verborumque moderatrix debeat esse prudentia. Quare, si rerum, quae postea in hominum usum sunt institutae, ignoratione, Latini veteres nequiverunt proprium dare iis nomen (quo factum est, ut neque apud Tullium, Caesarem Liviumque reperiri possint propria vocabula eorum quae ad Christianam Religionem pertinent), intolerandae levitatis esset Christianae Religionis mysteria Ethnicorum caerimoniis aequiparare miscereque sacra profanis, atque iis iisdem explicare verbis, quibus Latini veteres usi sunt, eaque uti oratione, quae cum lumen rebus adhibere debeat, obscuritatem potius ac tenebras afferat.

21. Multa vocabula scriptorum christianorum probanda sunt ac retinenda.

Quid est, quaeso, quod delicatas istas aures offendat, si novis adhibitis verbis, quod, Horatio teste, *licuit semperque licebit* (*A. P.* v. 58), explicare conemur quae nova sunt, quod nec Cicero et Sallustius facere abnuissent, si in nostra haec tempora ipsorum aetas incidisset ?³.

¹ Ex his praecipue sunt serviles Ciceronis imitatores saeculi XVI, qui « Ciceroniani » dicebantur et facete ab Erasmo irridentur : Paulus Cortesius, Petrus Card. Bembus, Aonius Palearius, Longolius, I. C. Scaliger, alii.

² M. PARTHENIUS S. J. in *De vita et studiis Hier. Lagomarsini*, n. 129.

³ Videas hac de re : C. D'AQUINO S. J., *Miscellan.*, lib. I, c. III, p. 18 ; PHIL. BONAMICUM, *De claris pont. epist. script.*, introd. ; MORCELLIUM S. J., *De stilo inscript.*, l. II, P. 1, c. 1 ; M. PARTHENIUM

Plurima igitur vocabula et dictiones a christianis scriptoribus veteribus usurpata, probanda omnino sunt; et non impune solum, sed et laudabili consilio elegantissimus quisque latinae linguae studiosus, scribendo proferet, quin idcirco deformatae latinitatis reus dici possit. Sunt enim haec verba ex graeco fonte bene derivata, aut a classicis scriptoribus iam usurpata et a christianis ad translatam vel affinem significationem detorta ex analogia, vel si quando minus legitime ficta, ab Ecclesiae usu tamen quodammodo recepta et consecrata, et proinde notiora sunt prae aliis purioribus quidem, at in re insolentibus.

Itaque, cum Catechismo Romano, aureae latinitatis libro, iure usurpabuntur, in praeceptiva praecipue oratione:

Abbas, abbatissa, absolvere, absolutio, angelus, angelicus, anima, apostolatus, apostolus;
baptismus, baptizare, blasphemare, blasphemia;
catechismus, catechizare, chrisma, canon, clericus, coenobium, Christus, christianus, communio-onis, communicare (= communionem sumere), concupiscentia, confessio (sacramentum), confessarius vel confessor, confirmatio, contritio;
daemon, decalogus, diabolus;
Ecclesia, ecclesiasticus, eleemosyna, episcopus, eucharistia, exorcismus;
fides;
gratia;
haeresis, haereticus;
incarnatio, incarnari, infernus, iubilaeum, iustificatio;
martyrium, missa, monachus;
novissima;
originale peccatum;
parochus, passio Christi vel martyrium, peccatum (mortale, veniale), peccata confiteri, remittere, poenitentia (sacram), praedicatio, propheta, prophetia, Purgatorius, Paradisus;

et P. LAGOMARSINUM in *op. cit.*, n. 129; DAM. BACCHIUM in *Orat. De Ethnicis lat. scriptoribus*; Rev. V. TAROZZI in *Oratiuncula De literis latinis...*; TH. VALLAURIUM in *Orat. De latinis christianae sap. scriptoribus*; M. A. MURETUM, *Var. Lect.* lib. XV, cap. 1.

*Redemptio, Redemptor, resurrectio ;
sabbatum, sacramentum, Salvator, supernaturalis ;
tentatio, traditio, Trinitas, tribulatio ;
Verbum (Dei) ;
zelus
ceteraque id genus nomina.*

Quid ? Ex omnibus ergo antiquis scriptoribus verba, quibus utar, depromam ? Minime. Immo adhibebo iudicium, habebo dilectum, et cum meae orationis genus ad exemplar Ciceronis, Caesaris, Terentii, aliorum optimorum quam maxime potuero, conformavero, ex aliis etiam et ex ipsis SS. Patribus pulcherrimum quodque carpam, et imitari conabor id quo quisque maxime excelluisse videbitur ; multa enim habent, quibus suo loco positis oratio uberior fit et ornatior.

Insania est ex vetustissimis auguralibus et pontificalibus libris depromere verba obsoleta ac perquam latina habere ; propria vero Christianae fidei et Christianorum rituum verba, ut non satis latina contemnere¹.

22. Multae tamen res fidei Christianae elegantius interdum efferri possunt ac debent.

Etsi enim voces locutionesque « ecclesiasticae » supra allatae et plures aliae, probandae sunt et usurpari possunt ac debent, praesertim in scriptis praeceptivis cuiusque generis, non est tamen infitiandum plerasque huiusmodi vocum elegantius posse, imo debere, exprimi, quando politici stilo latina opera texere cupimus.

abbas, abbatissa = coenobii praeses, antistes vel., antistita etc.

absolvere = criminum vinculis exsolvere ; alicui absolutio-nem a noxis, a reatu impertiri, etc.

apostata = religionis verae vel rectae fidei desertor, etc.

baptizare = aliquem aquis Baptismi intingere, irrorare, lustrare ; salutis aqua aspergere, etc.

benedictio = benedictum, bona verba, adprecatio, etc.

blasphemare = maledicere Deo, Sanctis ; Deum et divina,

¹ Cfr. MURETUM in *l. c.*

- Sanctos verbis sacrilegis laedere ; Deum, Sanctos appellare contumeliose, etc.
- coenobita* = religiosus vir in communi degens, etc.
- contritio* = perfectus animi dolor ; mali detestatio ; uri admissorum conscientia ; admissorum criminum dolore excruciar ; etc.
- crucifigere* = cruci affigere, suffigere ; in crucem agere, tollere
- confessor, -arius* = a confessionibus ; qui confitentibus aures praebet
- damnare, damnatio, damnati* = aeternis suppliciis vel sempiternis cruciatibus addicere, mancipare, etc.
- excommunicare, -catio* = interdicere sacris, a sacris remove, a sacris communibus excludere, communionis privatio, fidelium societate depulsio, excisio, submotio
- eleemosyna* = stipis pauperibus data, stipem largiri, elargiri, conferre in egenos, etc.
- ethnicus* vel *gentilis* = deorum cultor
- festum* = festus dies, festi dies
- fornicari* = scortari
- humilis, humilitas* = animo demissus, animi demissio ; sui despicientia ; modestia
- infernus* = inferi ; impiorum sedes aeterna, etc.
- ieiunare* = cibo se abstinere, etc.
- iustificatio* = iustitiae seu gratiae divinae adeptio ; divinae amicitiae assecutio
- impoenitens* = in delicto contumax ; in sceleris perseverantia obstinatus, obduratus, obcaecatus, etc.
- mediator* = conciliator
- Missa* = Sacrum ; sacrificium ; Missae sacrificium ; coelestem hostiam immolare ; rem divinam facere ; sacris operari, etc.
- mortificatio* = continentia, suimet compressio, carnis vel sensuum subiectio
- parochia, parochus* = curia, curio, -onis
- poenitentia* = emendatio vitae ; redire ad meliorem frugem vel mentem, etc.
- prophetare* = praedicere, vaticinari
- proximus* = alios, homines
- peccata remittere* = ignoscere, veniam dare, gratiam delictorum facere, remittere (tantum), etc.

reparatio = instauratio

resurrectio = reditus in vitam

retributio = merces

scandalum, *scandalizo* = facinus indignum, plenum offensionis ; exemplum pessimum ; aliquem exemplo offendere ; alicui exemplo nocere, offensioni esse, etc.

schisma, *-aticus* = secessio, scissura ; divisus, dissentiens

supernaturalis, *-aliter* = qui, quae, quod est supra naturam ; supra naturam

unigenitus = unicus natus ; unigena-aë.

zelus = animi ardor ; studium, cura, diligentia.

Aliaque plurima id genus vocabula.

Perutile sane lexicon moliri quis posset, si selectis a Mario Nizolio aliisque latinis Ciceronianisque formis, eas adderet, quibus Ant. M. Gratianus, Io. P. Maffei, Perpinianus, Hier. Platus, Tursellinus, Sacchini, Pogianus, Marianus Parthenius, Iulius C. Cordara, etc. usi sunt in explicandis Christianae Religionis officiis : quo in genere descriptionis, Pogianus ipse aliique doctissimi viri, qui in *Romano Catechismo* explicando illustrandoque vel in Pontificum Documentis a Leone XIII ac deinceps exarandis operam contulerunt suam, maxime caeteris praestiterunt.

23. Plurima etiam vocabula « christiana » non technica neque necessaria vel male novata debent expungi.

abominatio = res abominanda, detestabilis

aedificatio = virtutis exemplum, vitae specimen, norma probitatis

adversitas = adversa fortuna, infortunium

abyssus = profunda vorago

adiutorium = adiumentum, auxilium, iuvamen

aqua benedicta = aqua lustralis, piacularis

apocrisarius = legatus vel nuncius pontificius

aeternalis = aeternus, sempiternus

aromatizans = odorosus ; aromata olens, redolens

benefactor = beneficus, benemeritus

vel rem circuire aliqua propositione

beatificatio, *-are* = Beatorum in album adscriptio, ad Beatorum coetum evectio ; Beatorum numero addere

- bona opera* = pietatis studium, morum sanctitas ; pietati studere
- canonizare* = Beatis vel Sanctis asserere, ascribere ; in Coelum numerum referre ; Beatorum vel Sanctorum numero vel ordini adscribere, etc.
- creatura* = res creata vel condita ; opificium Dei (Lactant.)
- cruces* = piorum calamitates, dolores, etc.
- decollatio* = capitis obtruncatio, abscissio
- devotio* = pietas, religio, cultus
- deitas* = divinitas, numen
- divus* = sanctus (Cf. VALLAURI, *Scriptiones criticae*, pp. 67 sqq.)
- eremus* = locus solitarius
- eremita* = solitarius, deserti accola
- festivus* (dies) = dies festus
- festivitas* = dies festus
- implere legem* = legem servare, parere legi, satisfacere legi, etc.
- infestatio* = vexatio, molestia
- inhonestas* = turpitudine
- longanimis*, *-animitas*, *-iter* = patiens ; patientia, lenitas, animi moderatio ; patienter
- nativitas* = ortus-us ; natalis, dies natalis
- monialis* = virgo sacra vel sacrata, Deo devota ; sanctimonialis (virgo vel mulier), etc.
- mundus* = homines corrupti, etc. ; res humanae
- praesul* = antistes vel praeses sacrorum ; episcopus, etc.
- profanatio*, *-ator* = violatio ; violator
- sacrilege* = impie
- salvifico* = servo, salvo, ad sempiternam beatitudinem perduco, etc.
- saecularis* = profanus, laicus
- sollemnitas* = sollemne festum ; celebritas
- transgredior*, *-gressio*, *-ssor* : violo ; violatio ; violator
- zizania* = lolium ; transl. = iurgium, dissidium, discordia ; cetera.

Quae ergo elegantiore stilo commode reddi possunt, ea commutemus ; quae vero (μυστηριῶδες) aliquid habent, seu vim aliquam reconditam, plenior, clariorem in re chri-

stiana, integra teneamus, ne dum latini esse volumus, aut ethnici aut obscuri videamur¹.

24. Quid dicendum de latinitate « ecclesiastica » ?

Multi nostro tempore, sprete omni profanorum elegantia, *ecclesiastice* scribere dicunt oportere. Alii, contra, clerum accusant contemptum quod *ecclesiastice* scribat. Ad paradoxa haec intelligenda, distinguere necesse est duplicem rationem, qua vulgo sumitur dictio illa « latinitas ecclesiastica » vel « ecclesiastice loqui et scribere ».

a) *Latinitas ecclesiastica* multis illa est vel creditur esse, quae oritur ex mixtione incondita sermonis latini vulgaris et christiani, ex vocibus barbaris, philosophicis, scholasticis a scriptoribus Medii Aevi usurpatis, quaeque fere extra grammaticae leges, dissoluta et inornata procedit. Neque desunt, dolendum, libri et commentarii periodici in quibus profecto scriptores dant ansam spernendi linguam Ecclesiae. Nulla enim ibi puri propriique sermonis, nulla numeri habetur ratio: tertio quoque verbo sacris e libris vel ex corruptissima aetate voces utcumque inferciunt, et sensus quosdam afferunt mutilos, novos ad arbitrium inducunt, voces nostrates latinas faciunt mutata terminatione, omnia miscent ac mutant effrena licentia, atque ita germanos se scriptores ecclesiasticos arbitrantur. Falluntur sane, ac inepte quidem propriam celant inscitiam. Ut hoc modo scribant, non studio opus est; facilis res: satis est nescire linguam latinam.

b) *Latinitas* ergo quae *vero nomine ecclesiastica* dicitur, illa est qua utitur Ecclesia in suis actis et documentis, illa quam voluit adhibitam in aureo illo libro, qui Romanus dicitur Catechismus: pura, perspicua, elegans, qualis aureo saeculo latinitatis firma legibus viguit. Non enim Ecclesiae causa et rerum sacrarum dignitas laeditur elegantia sermonis, sed ornatur.

Si vero Ecclesia utitur potissimum aurea lingua latina, ad notiones tamen exprimendas antiquis scriptoribus igno-

¹ Cfr. HEINECCIUM, *Fundam. stili cult.*, P. I, c. 1, 12.

tas et vel a christiana fide vel a recentibus inventis postea invectas, sana prudentique libertate quaedam vocabula, in rebus christianis iam technica et quasi sacrata, recipit ac tenet, et si quae nova sunt prorsus fingenda, usitatis legibus modisque linguae latinae format. Ius, artes, grammatica propria vocabula ac fere propriam linguam habent: non aequo saltem iure habebit Ecclesia? Non ideo eius lingua erit vere latina?

Ceterum verba a christianis novata vel ad novas significationes detorta ex necessitate vel magna utilitate, nonne plerumque bene novata sunt ad leges latinae linguae, quas infra videbimus?

Retinenda igitur omnino quae bona sunt et necessaria; quae minus vel bona vel necessaria sunt, moderate sumantur in scriptis praeceptivis; quae vero inutiliter ac barbaramente novata et absona sunt ab indole linguae latinae, prorsus relinquantur, ut emendata et latina maneat oratio, nec sensim corrumpatur ac mutetur. Non pura verba, sed barbara perspicuitati orationis officiunt.

Est ergo, ac debet esse lingua ecclesiastica, lingua ipsa latina melioris aetatis (utpote quae firmior sit, ideoque et aptior et dignior munere ad quod assumitur), ditata delectu quodam verborum novis rebus christianis novisque inventis exprimendis¹.

Art. III. DE VERBIS NOVATIS COMMUNIBUS

25. Maiore profecto diligentia delectus habendus nobis erit quoad innumera verba serioribus aetatibus novata.

Multa enim verba latina optimae aetatis paulatim vim amiserunt suam ac nova eorum loco suffecta sunt; multa adiectiva, adverbia, verba, diminutiva novata sunt per derivationem, bene plerumque, at non ex necessitate; praepositiones etiam et particulae et verborum casuumque con-

¹ Cfr. AEM. SPRINGHETTI S. J., *Lingua latina gloria sacerdotum*, «Monitor Ecclesiasticus», Series VII, An. 1951, Fasc. IV, p. 659-676. Habetur etiam excerptum.

structiones in alias sensim mutatae; novae insuper significationes verbis et locutionibus additae: brevi, tota linguae latinae compago et integritas turbata est atque corrupta.

Sermo nunc est tantum de novatis ex derivatione et compositione, infra reicientes inter barbara, verba illa quae ex graeca vel aliis linguis male vel inutiliter sunt mutuata. Nec voces omnes male novatas hic colligere nostrum est¹. Satis erit regulas quasdam et classes verborum et significationum novarum suppeditare, ut ea mente penitus figamus discamusque suspecta quasi ex sono ac colore distinguere.

Patet haec omnia, nisi propria sint alicuius doctrinae aut artis, vel ex necessitate aut magna utilitate novata, non tanta fulciri ratione et auctoritate atque ecclesiastica seu christiana, ideoque facilius posse et debere repudiari ac substitui. Namque, etsi latinitas nostra non ad unum Ciceronem perstringenda est, non debet tamen per omnes latinae linguae aetates ita vagari, ut multicolor ac monstruosa evadat, significatione autem anceps et obscura.

Recte vero de omnibus verbis novis iudicium ferre, illaque vel respuere vel tolerare et probare vir tantum poterit, qui sit litteris latinis eruditissimus acrique polleat iudicio.

26. Aliquot voces et locutiones vitandae.

abesse per biduum, per triduum = bidui, tridui (spatio)

ab invicem = invicem

abhorrere rem aliquam = ab re aliqua

ab initio mundi = ab orbe condito, post hominum memoriam, post homines natos

abolere legem = abrogare, antiquare

absit ut faciam = quod Deus avertat; quod procul absit

aberratio = error, erratum

accentus, -tuare = sonus vel intentio vocis; syllabam acuere vel vocis sono efferre

accessibilis = pervius, aditu facilis, ad quem patet aditus vel accessus

activitas, activus = industria, studium, alacritas; industrius,

¹ Cfr. *Antibarbaros*, n. 12 in notis.

- impiger, gnavus, actuosus. [Tamen : *philosophia activa* (= *pratica*) ; *verbum activum*]
- accipere vel dare mutuo* = mutuum accipere vel dare, mutuari
- ad beneplacitum vel placitum vel voluntatem* = pro arbitrio vel arbitratu, ad arbitrium
- adaptatus* = accommodatus
- ad invicem* = invicem
- ad minimum* = minimum
- ad quod propositum ?* = quorsum id spectat ?
- ad vivum exprimere* = suis coloribus pingere
- advocare* : apud Ictos = causam agere, adesse reo in periculo
- aequanimis, -mus, aequanimitas, -iter* = tranquillus, aequalis sibi ; aequitas animi, aequo animo
- aequipollere* = aequari, equiparari, eiusdem significationis esse
- aër malus, non bonus, noxius* = caeli vel loci gravitas
- aequator* = circulus aequinoctialis
- aequivoca* = homonyma, ambigua
- affabiliter* = comiter, benigne, liberaliter
- affectatus* = nimis exquisitus (de re), curiosus, putidus
- affectuosus* = amans, studiosus
- affirmativus* = aiens, affirmans ; propositiones aientes (Cic.)
- agonia, -izare* = agon, anhelitus, extremus spiritus ; animam agere
- albedo* = albitudo, candor
- alteratio* = immutatio
- a longe* = eminus, e longinquo
- allocutio* = alloquium, oratio
- animositas* = animus, fortitudo
- annihilare* = delere, extinguere, abrogare, rescindere
- appanagium* = praebita annua (filio) ; dos (filiae) ; stipendium
- apparentia* = species
- apparitio* = visus ; spectrum, portentum
- a parte ante vel post* = antérieur, postérieur ; a parte antica vel postica
- appetitus* = appetentia cibi ; cupiditas cibi appetendi
- aptitudo* = habilitas, dispositio, dexteritas
- applausus* = plausus, approbatio, assensio, clamores

apprehendere = mente comprehendere vel percipere ; intellegere

appropriare = suum facere, sibi aliquid vindicare, etc.

approximare, -atio = appropinquare, appropinquatio

aquaticus = aquatilis, in aqua vivens, habitans

arbitrarie = arbitrario

armistitium = induciae, armorum intermissio

asseveranter negare = omnino vel constanter negare

attiguus = finitimus, vicinus, contiguus

articulus fidei, legis = caput doctrinae sacrae vel fidei, legis

atramentarium = vas atramenti, theca calamaria

artificialis = artificiosus, arte laboratus, quod est artificio perfectum, etc.

artisticus = ad artem vel arte perfectum, laboratum, etc.

arsenale = navale armamentarium

assistentia = subsidium, suppetiae

attestatio, -atum = testimonium, testificatio

augmentare, -tatio, -tum = augere, amplificare ; incrementum, accessio, amplificatio

balbuties = linguae haesitantia

belligerator = bellator

bene venias = exoptatus ades, salvum te venire gaudemus

benefacere alicui = beneficium in aliquem conferre

bestialis = feralis, ferinus, bestiis conveniens, bestiarum more, etc.

biennalis = biennis, bimus

brutalis = excors, bruti similis

bibere in salutem vel pro salute alicuius = propinare alicui ; bene mihi, tibi, Caio

bonus dies aut bona nox = salve, vale

bonum latinum = latinus, latinitas

brachium saeculare = civilis potestas, magistratus, imperium vel iurisdictio vel potestas magistratum

breviare = in compendium redigere, breve aliquid facere

breviarium = epitome, summarium

calcularre = computare, ad calculum vocare, etc.

calculatio = computatio, calculus

calumniosus, -se = criminosus, falsi delator, calumniator ; criminoſe, fraudolenter, etc.

cambium = pecuniae permutatio, nummorum commutatio vel collybus

camerarius = cubicularius, camerae praefectus

cancellaria = tabularium publicum, regium, aulicum, provinciale

capitulare = de condicionibus pacis vel de deditioe agere

capitulatio = leges vel condiciones pacis

captivitas = servitus, servitutis condicio, captivum esse

captivatio = procuratio

caristia = annonae caritas, penuria, egestas

cautela = cautio ; custodia, vigilantia

cedula = scheda, schedula, syngrapha

certiorare, certiolem vel certum reddere = certiolem aliquem facere

certo certius, certissime = verissime, admodum certe

casus conscientiae = quaestio de moribus, de officiis, de legibus

circularis = rotundus, qui in orbem fertur, etc.

circumstantia loci vel temporum = ratio ... ; tempora

citatio = 1. allegatio ; 2. in ius vocatio

civilitas = humanitas, urbanitas, comitas ; cultus, vitae cultus

coaequalis, coaetaneus, coaevus, contemporaneus = aequalis ; eiusdem temporis vel aetatis

coacte = per vim, invitus

cogitare in corde = secum reputare, animo versare

cohabito = simul habito

cognoscibilis = qui potest cognosci ; nosci facilis, cognitu facilis

coincidere = simul incidit ; idem valet, eodem redit

colendissimus = maxime colendus

collaborator, -are = socius, allaborans ; operam suam consociare cum ...

commensalis = conviva, ad mensam assidens

commentator = explanator, interpret

commissarius = legatus, procurator, curator

communicare alicui = cum aliquo

compassio, compati = misericordia, commiseratio ; misereri, simul pati, misericordia moveri

competens = legitimus, proprius, conveniens

complices rei, sceleris = socius vel particeps rei, etc. ; popularis coniurationis, coniurati

compendiosus = brevis, compendiarius

- complacentia* = benevolentia, oblectatio
compatriota, concivis, conterraneus = civis, popularis, eiusdem civitatis vel gentis
computus = calculus, ratio, supputatio
concernere = spectare, attinere
conciliare cum aliquo = c. alicui
condolere = simul cum aliquo dolere, alicuius casu affici, alicuius doloribus congruere
concordantia = concordia, consensus
concordatum = foedus, conventio, ius transactum
contemptibilis = contemnendus
confabulatio = sermo, colloquium
confectura = bellaria, dulciaria, edulia
conferentia = collatio, collocutio, acroasis ; consilium, conventus, coetus
configuratio, -atus = figurae conformatio, compositio ; conformatus
confiscare = publicare, publice proscribere, in aerarium redigere
confoederare, -atus, atio = foedere iungere ; foederatus ; foedus
conformis = congruens (et dat. vel cum et abl.), conveniens
confortare = corroborare, animum erigere
confrater = frater, collega, socius, sodalis
confutator = qui confutat, oppugnator sententiae alicuius
congenitus = ingenitus, insitus, innatus
conniventia = indulgentia, venia ; vel per verbum *connivere*
consectaneus, -eum est = sectator ; consequens est, consequitur
consistentia = firmitas, stabilitas
consonantia = consensus, concentus
consuetudinarius = assuetus, obfirmatus
contentiosus = pugnax, contentionis amans
contiguitas = propinquitas et quasi contactus
continuitas = continuatio, perpetuitas
contractus = res contracta ; vel circumscribere per « rem vel negotium contrahere »
contradictio, -dicere = repugnantia, vel circuitu ex verbo repugnare ; contra aliquem dicere ; alicui adversari
contradictorium = altercatio, disceptatio, discussio
contradictorius = absurdus, repugnans inter se, non cohaerens

conversari cum aliquo = (familiariter) uti aliquo

conversatio = consuetudo, convictus, usus

conveniunt scriptores = convenit inter scriptores

cooperari, -rator = una vel simul operari vel agere, opem conferre, etc.; qui simul agit vel opem confert, etc.

coordinare = coniungere, componere

cordolium = animi maeror

cordialis = benignus, benevolus

coronare aliquem regem = regiis insignibus exornare, coronam vel insigne regium imponere

coronatio = coronae impositio

correcte = emendate

correspondeo = respondeo

corruptibilis = caducus, fragilis, corruptioni obnoxius

creditum = nomina, pecunia vel res credita

credentia = 1. fides; 2. emptio vel venditio rei pecuniā creditā

criminalis = crimosus, capitalis

curialis = 1. aulicus; 2. leguleius, ex curia

damnare ad carcerem, ad mortem : carceri addicere, capitis damnare

dare pecuniam ad usuram = fenerare

decanus = decurio, senior, primus (v. g. collegii medicorum, doctorum litteris tradendis, etc.)

debitum = aes alienum, res debita

decennalis = decem annorum

delusio = defraudatio

degradare vel deponere aliquem = gradu deicere, deturbare; abdicare aliquem magistratu, exuere aliquem dignitate

demanium = dominium, dominatio

denotare = significare

demandatus = mandatus, commissus, impositus

dependere ab aliquo = pendere ex re vel ex aliquo;

dependentia = demissio, subiectio

depositarius = rei depositae ac concreditae servator, etc.

depositio = deiectio, depulsio

depraedatio = vastatio, depopulatio

deputatus = electus, legatus, institutus

derisorius = deridendus, ludificabilis

desponsatus = desponsus, promissus

descendere in arenam = in aciem dimicationemque descendere
deteriorare = deteriore facere, in deterius mutare
derisio = irrisio, ludificatio
deviare = declinare (a via, a veritate, a virtute)
devote = pie, religiose
diarium = commentarius ; commentarii
de verbo ad verbum = ad verbum, totidem verbis
dictamen (rectae) rationis = ratio insita in natura ; naturae
lex, ratio, praescriptum, praeceptum
dictionary = lexicon, dictionum index
diffamare = infamare aliquem, infamiam alicui afferre
dilucidare, -atio = enodare, explicare ; explicatio, declaratio
discere memoriter = ediscere, memoriae mandare
disconveniens = minime conveniens
discordantia = discordia, discrepantia
discurrere, -cursus = sermocinari, colloqui, disserere ; sermo,
alloquium, ratiocinatio ; ratiocinans, ratiocinativus
discretio, -cretus = 1. prudentia ; 2. separatio, disiunctio ;
prudens, sobrius
discussio = disputatio, quaestio, cognitio
disertis verbis = plane, dilucide, aperte, definite, etc.
disparitas = disparilitas, differentia, dissimilitudo
dissertatio = lucubratio, tractatio, commentarius
dissonantia = soni discrepantia, sonus dissonans
diversitas = dissimilitudo, discrimen
diversimode = diverse, varie, alio modo, aliter, etc.
divinator = hariolus, praenuntius, divinus (futuri)
divisibilis, -litas = dividuus, partibilis ; vis dividua, partibilis
doctoratus (subst.) = 1. docendi munus ; 2. doctoris insigne,
laurea ; (adiect.) = doctoris laurea donatus
dominium = dominatio, dominatus, imperium
dubietas = dubitatio
dubium-ii = 1. res dubia, dubitatio ; 2. quaestio
duplicitas = 1. duplicatio, duplum ; 2 simulatio, dolus
e contra, e converso = contra, e contrario
effectivus = effector, efficiens ; verus, certus
efficacia, -caciter = efficientia, efficacitas ; efficienter
elaborare aliquid = efficere, perficere, facere ; conscribere,
perscribere. Tamen bene : *elaboratus* (Cic.)
elucido = declaro

- elucubratio* = lucubratio
emicylus = semicirculus (Cic.)
encomium = laudatio
enervis, -vatio = enervatus ; debilitatio
epidemicus = contagiosus
esse in extremis = animam agere
exacte, -actus, -actius, -ssime = accurate, accuratus, accuratius -tissime
examinator = investigator, inspector, quaesitor, inquisitor
exaltatio = elevatio, sublatio
executorius = exequens, ad rem deducens
exercitium religionis = sacra publica, ritus
exhibere se liberalem = praebere ...
 liberalitatem = probare ...
exhibitio = propositio, oblatio
existentia = ratio ob quam existimus ; ipsum esse, exstare, existere
exigentia = necessitas, postulatum
expensa = impensa, impendium, sumptus
experimentalis, -tatus = experiens ; probatus, expertus
exponere periculis = obiiicere periculis
extemporaneus = extemporalis, ex tempore ; repentinus
exterminium = 1. expulsio ; 2. eversio, exitium
extractum (-us) = epitome, summarium, summa ; excerptum
extrinsece = extrinsecus
extrinsecus - a - um = exterior, extimus
ex tunc = ex illo, ex illo tempore
exuberantia = exuberatio, redundantia, abundantia
factor = effector, molitor
facere crucem = cruce se obsignare
facere legem = ferre, sancire
facere reverentiam = revereri, honorem habere
facere regem = creare, iubere, renuntiare
facere sibi conscientiam = religioni sibi ducere
fallibilis = errori obnoxius, qui errare potest
falsitas = mendacium, falsum, vanitas
falsare, -ator = depravare, falsarius
fama mala = infamia
famigeratus = clarissimus
fatalitas = fatum, casus

- feudum* = territorium vel praedium beneficiarium
ficticius = fictus, commenticius
figmentum = commentum, fabula, fictio
finalis = finem vel propositum habens ; ultimus, extremus, novissimus
filiaster = privignus, priore coniuge natus
finire opus = absolvere, perficere, ad umbilicum perducere; colophonem imponere, etc.
fluiditas = fluor, fluxus, fluxio
folia-orum = (librorum) paginae
fomes peccati = vitiorum germen aut semen
foraneus = forensis, ex foro, iudicialis
formulare, -arium = formula, exemplum
fraternitas = fraterna coniunctio vel concordia
fratricidium = fratris caedes, fraterna nex
frontispicium = frons, fastigium, prospectus, pars antica
frugalis homo = homo frugi, sobrius, temperans ; comparat. et superlat. tamen bene : frugalior ; frugalissimus
frustraneus = qui frustra est, vanus, supervacaneus, inutilis, irritus
frustrator = qui frustratur, ludicator, deceptor, fallens
fucate = cum fuce ; fecte ; artificiose
fundamentalis = principalis, praecipuus, primarius, primus
fusim = fuse ; tamen bene *fusius*, non : *fusissime*
generaliter, in genere = generatim, summatim, universe, in universum
generatio = procreatio, ortus ; 2. saeculum, aetas ; 3. posteri, posteritas
genitivus = genitilis ; generandi, ad procreationem pertinens ; (at bene in grammatica : *casus genetivus*)
genius saeculi vel temporis = ingenium, natura saeculi ; saeculum, tempora ; temporum ratio atque inclinatio ; mores
genius scriptoris = ingenium scriptoris
genius sermonis vel linguae = proprietas, indoles
glossa = vocabuli expositio, glossema
gratitudo (ingratitudo) = gratus (ingratus) animus, beneficii memor (immemor)
gratulatorius = ad gratulationem pertinens, gratulabundus
gratiam invenire = gratiam inire apud aliquem

- gravamen* = 1. (sub.) querela, querimonia ; 2. (obiect.) molestia
- graviloquentia* = dicendi vel locutionis gravitas, maiestas, robur
- gymnasticus* = gymnicus
- habere bonam complexionem* = firmo corporis habitu uti ; viribus ac robore valere
- habere bonam vel malam famam* = bene vel male audire
- habitualis* = 1. habitum informans ; 2. assuetus, consuetus
- hereditare, hereditatem capere* = hereditatem adire, obire, obtinere, cernere
- heres bonorum omnium vel universalis* = heres ex asse, ex libella
- heroice* = heroum more, fortiter, -issime
- historiola, -riuncula* = brevis vel parva historia
- honorificentia* = decus, dignitas, honor ; insigne
- hortatorius* = hortativus, cohortans
- humiliare, -iatio* = demittere, submittere, deprimere ; de-
iectio, demissio
- idealis* = mente conceptus, animo insidens ; optimus, perfectus
- ignominiose* = turpiter, cum vituperatione
- illegitimus* = spurius
- illimitatus* = infinitus, interminatus
- illusorius* = derisor, illudens, ludificabilis
- imaginari sibi aliquid* = animo fingere, cogitare, etc.
- imaginarius* = effictus, mente conceptus
- immaterialis* = incorporeus, expers materiae
- immediate* = proxime ; vel per pron. « ipse »
- immediatus* = ipse, proximus, contiguus
- immiscere sese* = se obtrudere, interponere
- immobilitas* = firmitas, firmitudo
- impatientia* = cum genit., v. g. impatientia doloris, calamitatum, etc.
- impeccantia* = vis peccandi impos
- implere legem, praecepta, officium* = servare, sequi legem vel praecepta ; parere legi etc. ; officium exsequi, obire, officio satisfacere
- implicare in terminis* = secum pugnare
- impostor* = planus, seductor, sycophanta
- impostura* = fraus, deceptio, calumnia, criminatio

- importat hoc* = id sonat, dicit, significat
impossibilis, -ilitas = absurdus, qui fieri nequit; repugnantia, absurdum
improperium = contumelia, opprobrium, convicium, maledictum
imputare aliquid alicui = assignare, attribuere
inadvertentia = incogitantia, inconsiderantia
inauguratio = inaugurandi actus; initium, principium
incapax = haud capax, ineptus
incentivum = incitamentum, instigatio
incertitudo = anceps notitia; incerta opinio; incertum-i
incompletus = inchoatus, nondum perfectus
incongrue, -enter = non apte, inepte
incorruptibilis = incorruptus, aeternus, immortalis
inculpabilis = inculpatus, innoxius
inculpare = incriminari
incurabilis = immedicabilis, insanabilis
indefessus = non defatigatus
independens, -entia = sui iuris, haud pendens; potestas summa, nemini obnoxia
indeterminatus = vagus, minime definitus
indevotus = pietatis osor, deses, negligens
indicibilis = ineffabilis, inenarrabilis
indifferentia = ad neutrum inclinatio; aequa ad utrumque propensio
individualis = individuus, singularis
indiscretio = immoderatio, excessus, imprudentia
indisciplinatus = incompositus, indomitus, perditus
indivisibilis, -ilitas = indivisus, individuus, insecabilis; simplicitas, partium defectus
ineptitudo = natura vel indoles inepta
infallibilis, -itas = fallere fallive nescius, qui errare nequit, verus, certus; errandi fallendive vis nescia
infamis libellus = famosus, ignominiosus
infernalis = infernus, infernas, tartareus
infestatio = vexatio, molestia
in fine (libri, epistolae) = in extremo libro, in extrema epistola
infirmaria = valetudinarium
infirmarius = valetudinarius
informator = relator, instructor

- in genere, in specie* = generatim, speciatim
ingratitude = ingratus vel immemor animus
ingredi religionem = religiosum ordinem adire, institutum...
 profiteri, sacrae militiae... nomen dare, eius vitae rationem sectari, etc.
innotescere = palam fieri, enotescere
innovatio, -vator = novitas, instauratio; qui innovat, novator, novarum rerum cupidus
inobediens, entia = non obediens, dicto non audiens; contumacia, iussis repugnantia
inordinatio = ordinis confusio, perversio
insensatus = 1. insensilis, sensu carens; 2. stultus, insipiens
insensibilis, -itas = insensilis, sensu carens; stupiditas, stupor
insignire = ornare, distinguere; tamen bene: *insignitus*
inspiratio, -ratus = afflatus, instinctus divinus; afflatu vel instinctu divino percussus. Tamen retineri possunt in theologia
institutor = 1. doctor, praeceptor; 2. auctor, fundator
instruere, -ctio = instruere cum aliquo addito, v. « artibus ... »; institutio
integralis = integrans, in integrum redigens
interessatus = venalis, lucro inhians
interficere se, occidere se = manum sibi inferre, se interimere, mortem sibi consciscere
interfectio, -ector sine genit. = caedes, occisio; parricida, percussor, sicarius
interlocutores = interloquentes, personae, eclogarii (Cic.), qui inter se colloquuntur, etc.
interpolare = librum vel tabulam adulterare, corrumpere, vitiare alienis verbis (demendo vel addendo litteras, ect.)
intimatio = indictio, denuntiatio
intitulare = inscribere (librum)
intrinsece = intrinsecus
intrinsecus, a, um = internus
intuitus = adspectus, respectus, ratio; *intuitu personae* = ratione habita huiusmodi viri, hominis, personae
intuitivus = speculator; evidens
invariabilis = immutabilis, immotus
inventarium = rerum recensitarum commentarius, index

- inverecundia* = impudentia, frons proiecta
investitura = possessio, dominatus eiusve collatio
involuntarius = non voluntarius, invitus, praeter voluntatem
ipsissimus : semel per iocum Plautus ; nunc pluribus in deliciis est. Sufficit : *ipse*
irascibilis = iracundus, excandescens
irrationalis = expers rationis
irrefragabilis = ineluctabilis, invictus
irremissibilis = damnandus, plectendus, expers veniae
irremediabilis = desperatus, inexpiabilis
irreligiosus = impius
irrisorius = ludificabilis
itinerarium = iter, viae ratio sive descriptio
iuramentum = iusiurandum, sacramentum
iurista = iurisconsultus, iurisperitus, legum peritus
iuxta doctores, Augustinum = ex doctorum sententia vel iudicio ; Augustino teste vel iudice ; ut Augustinus tradit, docet, auctor est
labilis = labidus, labens, labescens ; *labili memoria esse* = memoria vacillare ; memoria fluxa, infirma, obliviosa
lacticinium = opus lactarium, lacteum
latinior, latinissimus = magis vel maxime latinus
latinum (subst.) = litterae latinae, sermo latinus
legalis = legitimus, iuridicus
legitimare = fidem facere alicui rei ; 2. legitimum declarare, vel pronuntiare, legitimis filiis annumerare alqm
leuca = tria passuum millia
licentiose = licenter
licentiatus = in studiis emeritus
ligatura = ligamen, ligamentum, obligatio
limitatus = finitus, limitibus saeptus
literatura = litterae
litigatio = concertatio, dimicatio
longanimis, vel us, -itas = patiens, lenis, animo moderatus ; patientia, lenitas, animi moderatio
magnates = optimates, proceres
maiorennis = puber, qui sui iuris est, qui in suam tutelam venit
male dispositus = aeger, infirmus ; alienus ab aliquo, male affectus in alqm

- male se habere* = adversa vel incommoda valetudine uti
manifestare = manifestum facere, in medium proferre, patefacere, divulgare, aperire
manuscriptum = liber vel codex manuscriptus
marchio, mareschalcus = limitum comes ; magister equitum
 Cf. tamen infra nn. 61-62.
materna lingua = sermo patrius, vernaculus
matricula = album, index
mediante illo = illo medio, intermedio, suffragante, interveniente ; illius opera, munere, beneficio
mediata vel immediata causa = remotior vel proxima
mediatio = conciliatio, interpositio
mediator = conciliator, deprecator ; arbiter, interpres, internuntius
medium = adminiculum, remedium, instrumentum ; 2. ars, modus, ratio
meliorare = melius aliquid reddere vel facere ; in melius mutare ; *pass.* melius fieri
memoriale = 1. commentarius ; 2. supplex libellus
mendicare de domo in domum = hostiatim stipem cogere, corrogare
mentalis = mente animoque perceptus vel peractus, meditatus, commentatus
meridionalis = australis, meridianus
mineralis = fossilis, fossicius, metallicus, terreus, lapideus
ministerialis = 1. ministrans, inserviens ; 2. regii administri litterae missiles ; 3. regii administri vel consilii, etc.
missale = sacrorum ritualis liber
modernus = recens, recentior, novus ; qui nunc est vel fit, nostrae aetatis, nostri temporis, etc.
monetarius = monetalis, nummarius
momentaneus = momentarius, caducus, perbrevis
monoculus = unoculus, luscus, altero oculo captus
motivum = causa motrix, ratio, incitamentum
multiplicitas = copia, vis multiplex
multissimus = plurimus, perquam multus
mundialis = mundanus, terrenus
musaicum = opus musivum, tessellatum, vermiculatum, lapillis intextum
nativitas = ortus, natalis, dies natalis

nationalis = gentilis, provincialis, nationis

nautica-ae = ars navigandi

negativus = negans, inficialis

nepotismus = studium cognatos fovendi, augendi

neutralis = neutrius partis studiosus

nimietas = excessus, superfluitas, redundantia

nigredo = nigror, nigritudo, nigrities

notorius = manifestus, compertus, perspectus, notus, apertus

novendium = novendiale sacrum, noveni dies, spatium novem dierum

novennis = novem annorum, novem annos natus

nullatenus = neutiquam, nullo modo

nullimode, nullimodis = nullo modo

numericus = numeri (gen.), numeratus, numerabilis

obfuscare = infuscare

obiectivus = sensibus obiectus, oblatus; in natura positus

obiectio = obiecta res, obiectatio, oppositio, quod obiicitur

obire mortem = perire, mortem oppetere

oblatio = actus offerendi, donum, munus

obligatorius = adstringens, obligans; imperatus

oblivioni tradere = oblivioni dare (LIV.), oblivione aliquid extinguere, oblivione sempiterna delere, etc.

observare legem = obtemperare, parere, obsequi, stare legi

obstaculum = impedimentum, difficultas, mora

occasionalis = occasionem vel ansam praebens

occidentalis = occidens, ad occasum vergens

ocularis testis = t. oculatus (PLAUT.), qui ipse (oculis suis) vidit

odi(a)bilis = odiosus, odio dignus, detestabilis

odiositas = invidia, malevolentia, odium

offensivus = iniurius, offensator

officiositas = officium

omissio = praetermissio, neglectio

omnigenus, a, um = omnis generis, in omni genere

omnimode, -dis = omnibus modis

omnipotentia = vis omnipotens, summa potentia, potentia omnium rerum

opera bona = pietatis officia, virtutum exercitationes, etc.

opinionem bonam vel malam habere de aliquo = bene vel male sentire, existimare de aliquo

opus habeo libris = mihi opus est libris, mihi opus sunt libri

orientalis = ad orientem spectans vel vergens, ad ortum patens

originalis = 1. exemplar, archetypus ; 2. primaevus, originis ; 3. suus, novus

otiositas = otium, cessatio, desidia

palatium = aedes, ium

palpabilis = tactilis, tractabilis ; manifestus, apertus

Papa, papalis = Pontifex maximus ; pontificius, pontificalis

paramentum = vestimentum, suppellex, apparatus

parentela = affinitas, consanguinitas

parlamentum = 1. suprema curia ; 2. regni comitia

paritas = parilitas, aequalitas, par ratio, comparatio

partialis = 1. ex parte ; 2. partibus addictus vel favens

participare aliquid cum aliquo = participem facere (fieri) aliquem alicuius rei ; in partem vocare

participare aliquid alicui = communicare aliquid cum aliquo

pasculum = pascuum, pabulum

passibilis, -litas = patibilis ; patiendi capacitas

pati damnum = iacturam facere, detrimentum capere

passio = 1. corporis vel animi aegritudo, perturbatio ;

2. affectiones, appetitiones ; 3. perpressio, crutiatus

patriota = patriae amans

pausa = quies, respiratio, mora, intermissio

pensio = salarium annuum, stipendium

pensionarius = stipendio annuo victitans ; beneficiarius, emeritus

perdere fiduciam = animum despondere

perdere litem = causā cadere

perplexitas = anxietas, dubitatio, haesitantia, ambiguitas

perquisitio = indagatio, investigatio

per se, per accidens = naturā, casu

personalis = proprius, cuique suus

personalitas = personae proprietas

personificatio = personae effictio vel repraesentatio

persuasus sum = compertum habeo, certum mihi est

pertinet ad me liber = meus est

perspicacia, -cacitas, -aciter, -issime = acumen ; acute, acutissime

petere iustitiam = in ius vocare, iura repetere
philologicus, -ce ; -sophicus, -ce = philologiae, philologorum ;
 philosophiae, -sophorum ; more philologorum, etc.
pigredo, pigrities, pigritudō = pigritia, desidia, inertia
pileum imponere vel deponere = caput operire vel aperire
plenilunium (novilunium) = plena luna (nova luna)
plenipotentarius = legatus cum publicis autoritatibus
pluralitas = numerus maior, plurium copia, maior pars
poenitentiam agere alicuius rei = poenitere, resipiscere, ad
 frugem se recipere vel redire
poëtaster = malus poëta, versificator
pone casum = finge animo, fac esse
pomposus = magnificus, splendidus
populosus = frequens, celeber (hominibus)
porosus = spongiosus, poris scatens
posito quod = cum ita sit, cum constet, cum pateat
possibilis, -litas = qui esse fieri potest ; potentia, facultas,
 pctestas, copia
practica = usus, experientia
practicus = expertus, peritus, gnarus
praeconceptus, praeconcepta opinio = praeiudicata opinio
praebenda = proventus, redditus annuus
praeparatorius = praevious, antecedens
praedominium = dominatus, potestas, imperium
praesentatio = oblatio, exhibitio
praesidens = praeses, moderator
praesumptuosus = arrogans, sibi fidens
praepositura = praefectura, munus, dignitas
praetextum, -tus = species, simulatio, causa, causatio
praxis = modus, usus, mos, consuetudo
primogenitus, -tura = natu maximus (inter plures), natu
 maior (inter duos) ; ius natu maioris vel maximi
prioritas = antecessio, principatus
processus criminalis = causa criminis vel capitis
processus verbalis = scripta relatio, iuridica, acta scripta, etc.
producere fructum = ferre, efferre, edere
prodigalitas = prodigientia, effusio, profusio
pro hac vice = in praesens, semel tantum
profanatio, -tor = violatio, depravatio ; violator, sacrilegus,
 etc.

profunditas = fundus, profundum ; vorago, altitudo
prolixè, -ius, -xus, -xitas = longo temporis intervallo, copiose ; copiosius, uberius ; copiosus, longus ; longitudo, etc.

promovere ad dignitates = provehere ...

prompta pecunia = numerata vel praesens pecunia

promptitudo = alacritas agendi, celeritas

prophetiae spiritus = divinus afflatus

proponere quaestionem = afferre, referre, ponere

proportionatus = comparatus, rationem habens

pro possibilitate = pro virili parte, pro viribus

proprietaryus = herus, dominus, possessor

proprio Marte = meo, tuo, suo, ipsius Marte ; ipse, suis viribus, nullo adiuvante, etc.

pro rei exigentia = pro re nata

prosa, prosa oratio = oratio, soluta oratio

prosaicus, prosarius, prosasticus = scriptor, orator, scriptor solutae orationis

protectio, -ctor = defensio, tutela, patrocinium, praesidium ; defensor, patronus

provisorius = ad tempus, ad nutum, ad arbitratum

publicum = homines, cives, spectatores, auditores, lectores, congressus

puritas sermonis = integritas, munditia, sinceritas ; sermo purus, integer, emendatus, etc.

pusillanimus, -nimitas = timidus, fracto animo, animus parvus, angustus, abiectus ; animi timiditas, angustia...

quadratura = quadratio, in quadrum redactus

quantum ad hoc, quoad me = de hoc, quod ad hoc pertinet, quod ad me attinet

quidquid sit = quidquid est, utcumque

quod magis est = quod maius vel caput est ; atque adeo, quin etiam, etc.

quomodo vocaris ? = qui vocaris ? quodnam tibi nomen ?

quod sunt milliaria usque Romam ? = quot passuum millia vel quantum hinc Roma distat, abest ?

quota = pars rata, pro virili portione vel parte

quodlibetum = miscellanea, miscelli tractatus, rei cuiuslibet pertractatio

quotuplex = quotus, quotumus, quam multiplex

- ratificare* = ratum facere, aliquid ratum esse velle
rationalis = rationis particeps, compos ; rationi conveniens
recapitulare, -latio = summa rerum capitare tractare, repetere ; recensio, complexio, summa
reconciliare se cum aliquo = reconciliare sibi aliquem vel alicuius animum aut gratiam ; redire in gratiam cum aliquo
rectitudo = integritas, recta ratio
reformatio = instauratio, redintegratio
refluxus = refluus motus, regressus ; mare refluum
refractio = (lucis) repercussio
refrigerium = refectio, recreatio, refrigeratio, solamen
reicere culpam in alium = transferre, derivare ...
religiositas = pietas (erga Deum)
reliquarium = sacrarum exuviarum vel reliquiarum theca, locus, repositorium
reprobatio, reprobus = reiectio, damnatio, improbatio ; improbus, supplicio destinatus
reparare damnum = sarcire d., indemnem facere alqm
reputatio = existimatio, dignitas
respectum habere ad aliquem = rationem alicuius habere
restaurare, -ratio, -rator = instaurare, renovare, reficere, restituere ; instauratio, restitutio ; instaurator, restitutor
resurgere, -ectio = 1. denuo surgere ; 2. reviviscere, in vitam redire, vitae reddi, etc. ; ab inferis reversio vel reditus, ad vitam reditus, etc.
residentia = sedes, statio, commoratio
retributio = merces, remuneratio
revolutio = 1. seditio, perduellio ; 2. conversio, evolutio : v. g. conversiones orbium caelestium
revisio = recensio, cognitio ; *revisionem facere* = recognoscere
rigor = severitas, asperitas, morositas
rigorose = stricte, severe
saepe saepius = persaepe, saepissime
salva conscientia = salva fide, salvo officio
salvus conductus = fides publica ; fidem publicam dare ; interposita fide publica aliquem ducere
scandalosus = qui ceteris est offendiculo
scandere versus = metiri, dimetiri versum ; versiculi pedes enumerare

scienter egit, fecit = prudens et sciens egit, etc.

secundum quid = quadam ex parte

secundum dignitatem, opinionem = pro dignitate, ex opinione

scrutinium = 1. investigatio ; 2. suffragatio, suffragiorum
rogatio

secretarius = scribe, a secretis, ab actis, a commentariis

sensatio = sensus, sensuum perceptio

sensibilis = sensilis, sensibus pervius vel subiectus

sensualis, -alitas = 1. sensilis ; 2. carni obsequens ; sensus,
appetitio, libido

septimana = hebdomas, hebdomada

sequitur inde, hinc, ex eo, etc. = ex quo, ex eo efficitur

sollemnitas = sollemne (festum), celebritas, dies festus

somnolentia, -tus = sopor, torpor, veternus ; somniculosus,
somno deditus, dormitans

spatiosus = amplus, magnus

spiritualis = ad spiritum pertinens ; religiosus, pius ; gen.
animi : v. g. delectationes animi

spurius = adulterinus (nummus, signum)

subalternus = subiectus, secundus

subditus = subiectus alicuius imperio, civis

subitaneus = subitus, subitarius, improvisus

subordinare, -atus = subiicere, supponere ; subiectus, sub-
missus, suppositus

subventio = subsidium, suppetiae, adiumentum

succincte, -ctim = paucis, breviter

sufferentia = perpressio, tolerantia

suicida, -dium = qui mortem sibi consciscit ; mors voluntaria

sumere ultionem = sumere poenam, ulcisci

summulae = rudimenta logicorum, prima disputandi ele-
menta

superficialis = levis, brevis, facie vel superficie tenus ; parum
subtilis vel diligens vel accuratus, etc.

superfluous = supervacaneus

superintendens = praepositus, praefectus, curator

superscriptio = inscriptio, titulus

supplere locum alicuius = vicem gerere, obire, fungi vice

suppositio vocum = vocum certa acceptio et usurpatio

syndacatus = 1. inspectio, censura ; urbis praetura, civica
administratio ; 3. collegium (operariorum etc.)

suspendere actionem = differre, ampliare, procrastinare
suspendere ab officio = submovere, dimovere a munere
tangibilis = tactilis, tractabilis ; clarus, manifestus
tempestuosus = procellosus, turbulentus
temporalis = caducus, brevis, ad tempus
temporaneus = temporarius, ad tempus
teneor id facere = faciendum mihi est, lege adstringor
tenor epistolae = argumentum, summa, sententia
torneamentum = ludicra pugna equestris
tortura = tormenta, quaestio
totaliter = omnino, prorsus
tractare cum aliquo = agere cum aliquo
traducere librum = reddere, interpretari, vertere (latine,
 graece), transferre, vertere, convertere in latinum (ser-
 monem), etc.
triduanus = trium dierum
tumultuarie, -rio, -tuatim = tumultuose ; festinanter
tunc temporis = per illa tempora, illo tempore, ea aetate
una vice = vice simplici, semel
uncinus = uncus
uniformis, -iter = uniusmodi ; eodem modo, similiter
usus linguae = consuetudo sermonis vel loquendi
usualis = vulgaris, ex usu factus
universalitas = universitas, omnium complexio
unanimiter = concordibus animis, uno animo, uniter
unum ex alio = aliud ex alio
vacantia = vacatio, cessatio, remissio, feriae
vagabundus = vagus
valedicere alicui = aliquem valere iubeo
validitas = vis, potentia, robur
valor = vis, virtus, pretium ; bona personae, ingenii
variabilis = mutabilis, mutationi obnoxius
vassallus = subditus, subiectus, cliens, famulus
velleitas = levis cupiditas, inefficax votum
venenosus = venenatus, veneficus, venenifer (Ov.)
veracitas, -ter = veritas, veritatis studium ; vere
verbalis = verbo vel ore traditus
verbositas = garrulitas, multiloquium
verbo tenus = ad verbum
veriloquus, -loquium = veridicus ; verax eloquium, veritas

versificatio = ars metrica, condendi carminis, versuum pangendorum artificium
vergere in honorem = honori esse vel duci
versio, onis = quod (latine) vertimus, interpretatio
veritas historica = rerum historiae fides
vestitio religiosa = inauguratio, religiosi habitus susceptus
victualia = alimonia, annona, commeatus
villanus = rusticus, villicus
virtuosus = moratus, probus, virtute praestans
vincibilis = vinci, superari, expugnari facilis
visibilis = conspicuus, adspectabilis
visus oculorum = adspectus, acies oculorum
vivere in pace = tranquille degere, vel vitam traducere, otio perfrui
viva vox = vox, clara vox
vocatis vocandis = adhibitis, adscitis iis quorum interest, quibus iure competit
vocem habere in capitulo = suffragari, ferre suffragium in comitiis, in consilio
votum dare = sententiam dicere, suffragatione uti
volitio = voluntatis actio, voluntas, appetitio
voluptuosus = voluptarius
voracitas = edacitas
voraciter = avide, magna cum edacitate
vox alta vel submissa = elata vel remissa
vox tenuis vel crassa = acuta vel gravis
vocem extollere = vocem intendere, vociferari.

27. Voces aliquot locutionesque classicae nova cum significatione usurpatae.

absolutus : *clss.* = perfectus ; *sign. nov.* = illimitato :
 « *potere assoluto, assolutismo* » = potestas infinita, immoderata, summum imperium ;
 « *assolutamente* » = non : *absolute*, sed « prorsus, simpliciter »
abstrahere (ab, ex, de), -ctus, -cte : *class.* = per vim abducere, avellere ; *nova sign. philos.* = abstrahere, abstractio, abstractus, latine est : infinitus, universus. Quod vero dicimus « concretus, -te » = definitus, certus, proprius ; separatim ... definite = in astratto - in concreto

In re autem philosophica iure possumus uti verbis propriis philosophiae : abstrahere, abstractio, abstractus, abstracte ...

abusio : *class.* = figura rhetorica κατάχρησις, quae verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur ;

signif. nova seu *non classica* := malus vel pravus vel intemperans usus (*abuso*)

abusus : *class.* = absumptio quae utendo fit ;

non class. = pravus, malus usus, insolens mos (*abuso*)

abuti : *class.* = rem aliquam utendo absumere, consumere ;

non class. = perverse, insolenter uti (*abusare*)

accuratus : *class.*, de rebus = oratio, sermo accuratus ;

non class. : de personis = diligens ; de doctrina, scientia = exquisita, subtilis, singularis, interior, excellens, elegans, etc.

acquirere : *class.* = aliquid novi sibi comparare idque ceteris iam possessis addere, suas facultates et opes augere ;

non class. = acquirere sibi gratiam, benevolentiam, pro : inire, conciliare sibi alicuius gratiam ...

adaequatus : *class.* = comparatus ; complanatus ;

non class. = perfectus, absolutus

ad annum : *class.* = post (expletum) annum ;

non class. = in annum, in tempus unius anni

adducere : *class.* = aliquem textem (etiam : producere, citare) ;

non class. = locum Homeri, etc. ; *lat.* = afferre, proferre

adhibere fidem : *class.* = promissis stare, integre et fideliter agere ;

non class. = credere (Auson.)

adoptare : *class.* de persona = hunc mihi patronum ;

non class. lectionem, scripturam, librum, pro : recipere, eligere, sibi sumere

aedificatio : *class.* = fabricatio, actus aedificandi ; aedificium ;

non class. (v. g., Scr. Eccl.) = virtutis exemplum, vitae specimen, norma probitatis

aegritudo : *class.* tantum « animi » ;

non class. pro : aegrotatione vel morbo (corporis)

aggressio : *class.* translate : actus accedendi ad rem gerendam ;

non class. proprie = impetus, oppugnatio, incursio

- alias* : *class.* improprie : de tempore = alia vice, alio tempore ;
non class. proprie : de loco, pro : alibi, alio loco, ceteris in rebus
- allegare* : *class.* = mittere ad aliquem locum vel hominem, sed privatim (nam publice *legare* dicimus) ;
non class. 1) pro : « legare »,
 2) pro : afferre, proferre locum scriptoris, vel producere, citare scriptorem
- alludere* : *class.* = cum aliquo aut cum re aliqua ludere, colludere, sive blande et iocose accedere et recedere ;
non class. = (tecte) significare, respicere, denotare (*ital.* alludere, fare allusione)
- ambire* : *class.* cum accus. tantum personae ;
non class. de re : consulatum, magistratum (*class.* petere)
- animadversio* : *class.* = mentis attentio ad rem ; reprehensio, punitio ;
non class. pro : explicatione, interpretatione, explanatione, adnotatione
- annuus* : *class.* = qui unius anni spatio continetur : tempus annum, magistratus annui ;
non class. = quod quotannis recurrit ; v. g. annua sacra pro : sacris anniversariis
- ante diem* : *class.* = pridie ;
non class. pro : ante lucem, hora antelucana
- antiquitas* : *class.* pro antiquo tempore, vetustate ; v. g. ex ultima antiquitate ;
non class. in locutionibus : « in antiquitate » = antiquis temporibus ; « docta, erudita antiquitas » = veteres homines docti ; « antiquitas romana » = antiquitates romanae, etc.
- argumentum (libri, epistolae, picturae)* : *class.* = accipitur pro eo quod narrando, scribendo, pingendo ... proponimus, h. e. pro materia ipsa ad scribendum ... destinata (*ital.* = soggetto, materia) ;
non class. pro indicatione materiae ; quod latine est : epitome, summarium, summa seu praecipua capita.
- asserere* : *class.* = iuridico sensu : adiungere seu adnectere, i. e. aliquem manu prehensum ad se adiungere manuque capiti eius imposita liberum esse dicere ;

non class. 1) vindicare, tueri, defendere manu tenendo vel capiendo ; 2) verum affirmare, verum esse contendere, ideoque dicere, affirmare.

Idem dicas de *assertore*, *assertione*, *asserto*, quae voces post argenteae aetatis scriptores, iam dicunt extra ius : vindicem, liberatorem, defensorem ; affirmationem, effatum, dictum

audire bene, male, minus commode : *class.* = bonam, minus bonam, malam existimationem habere ;

non class. pro « auditu (non) valere, acri esse auditu, etc.

baro : *class.* = bardus, stupidus ;

non class. = optimas, primoris. Perspicuitatis causa retineatur : baro, nobilis baro

bene-dicere : *class.* divisis vocibus, saepius cum dativo = bene de aliquo loqui, laudare (opponitur *maledicere*) ;

non class., raro cum dat., sed fere cum accus. pers. aut rei ; et iunctim scribitur = laudare, praedicare, fortunare, bene alicui precari ; consecrare ; salutare

breviarium : *class.* = summarium ;

non class. = liber precum

breviter : *class.* = paucis verbis ;

non class. pro : quid multa vel plura ? ne multa, ut paucis dicam, brevi praecidam, etc. (ital. *in breve* ; gall. *bref*)

brutus, a, um ; brutum -i : *class.* = tantum quidquid aut immotum est, aut grave, aut stultum et obtusum ; v. g. « bruta tellus » (HOR.), « bruta fortuna » (CIC.) ;

non class. = bellua, bestia, quodvis animal rationis expers

calendarium : *class.* = liber in quo feneratores perscribebant nomina eorum, quibus pecuniam fenori dederant et pensionis solvendae quantitatem ;

non class. = liber in quo anni, mensium et dierum ac lunarium mutationum ratio perscribitur, fasti

camera : *class.* = tectum incurvum in modum testudinis, tectum in modum crucis arcuatum, ipsa tecti curvatura ;

non class. = ipsum conclave vel cubiculum

capacitas : *class.* = spatium capiendi, locus qui capere aliquid seu continere potest ;

- non class.* de animi capacitate (cfr. CIC. 1 *Tusc.* 25, 61):
vis percipiendi, vis ingenii
- capitulum* : *class.* diminut. a caput ; vel, in architectura, pars superior cuiusque rei et praesertim columnae ;
- non class.* pro brevi divisione et sectione in libris, in lege (TERTULL., COD. IUSTIN. etc. ; retinendum) ; vel pro « canonicorum collegio », vel « fratrum consessu »
- castigatio, castigare, castigator* : *class.* de reprehensione et animadversione corrigendi causa facta ; quae fere verbis fit, nisi aliud addatur ;
- non class.* = punire, multare, etc.
- casualis* : *class.* de rebus ad casus declinationis pertinentibus ;
- non class.* (ut etiam « *casualiter* ») : qui casu seu fortuito fit ; fortuitus, incertus, in casu positus
- claustrum* : *class.* = quidquid claudendo inservit, vectis, serra, repagulum ; saeptum, moenia, antemurale, etc.
- non class.* = saeptum coenobii vel monasterii (bene ex analogia)
- collecta* : *class.* = quod confertur a multis in convivium ;
- non class.* = multorum in unum locum coitio orandi causa ; vel etiam : eleemosynae quae intra Missarum sollemnia indicebantur
- comitatus* : *class.* = comitum multitudo ; comites ; turba hominum simul iter facientium ...
- non class.* = comites aulae principis ; ipsa aula ; comitis seu iudicis dignitas, iurisdictionis eius territorium etc.
- commentarius* : *class.* = liber in quo res continue, diligenter, breviter, sine ornamentis, quasi per capita, memoriae gratia (a « *commentor* » : « *commentus* » ex « *comminiscor* ») describuntur ;
- non class.* = etiam : expositio et interpretatio scriptorum
- commissio* : *class.* = actus committendi vel coniungendi, commissio pugnae vel ludorum (= initium) ;
- non class.* = 1. commissum, peccatum ; 2. mandatum, curatio, negotium ; 3. consilium (alicui rei faciendae)
- communico* : *class.* = commune facio cum aliis, ita ut id multorum sit ; alios participes facere alicuius rei ;
- non class.* : 1) communicare aliquem = inquinare,

- polluere ; 2) communicare alicui = conversari ; 3)
 communicare alicui rei, altari = participem esse
communis, -iter : *class.* = non proprius vel privatus, qui
 est multorum, publicus, etc. *Adverb.* = una cum aliis,
 cum omnibus, promiscue, sine partitione
non class. = vulgaris ; vulgo, vulgariter
compilare : *class.* = res alienas simul undique surripere, col-
 ligere et asportare ;
non class. = colligere
compungo, -ctio : *class.* = pungo, puncturis signo ; pungendi
 actus ;
non class. translate pro : poenitere ; peccati admissi
 dolor
confidentia : *class.* = fiducia, fidentia, audacia, temeritas ;
non class. = secretum
consummatus : *class.* = perfectus, numeris omnibus absolutus ;
non class. = consumptus, confectus, exhaustus
copia : *class.* = abundantia, multitudo ; facultas ;
non class. = exemplum, exemplar
conventus : *class.* = congregatio, coetus hominum ; pactio ;
non class. = domicilium, monasterium
conversio : *class.* = actus convertendi, inversio ; mutatio ;
non class. = vitae mutatio et correctio
creare, -ator : *class.* = gignere, facere, eligere : creare con-
 sulem ;
non class. : « creare mundum, creator mundi », pro :
 efficere, fabricari, aedificari, procreare ; fabricator,
 aedificator, procreator mundi ; (vis nova ; recipiatur)
corollarium : *class.* = auctarium, additamentum quod alicui
 datur praeter id quod debitum est
non class. = consecrarium seu brevis et adstricta con-
 clusio
deputare, -tatus : *class.* = censeo, existimo, iudico ;
non class. pro : legare, delegare ; legatus, delegatus
devotio, -votus : *class.* = destinatio, oblatio, consecratio, dedi-
 catio ; ex voto promissus, consecratus, destinatus ;
non class. = dedita fides, addictum studium ac volun-
 tas ; pietas in Deum, religio, cultus ; pius in Deum,
 religiosus
determinatio : *class.* = terminus, finis (mundi, orationis)
non class. = decretum, deliberatio

- discretio, -tus* : *class.* = separatio ; separatus, divisus, etc. ;
non class. = moderatio ; prudens, sobrius, moderatus
- disciplina* : *class.* = institutio, educatio, ratio institutionis ;
non class. = flagrum, flagellum (reiciendum)
- discurro, -cursus* : *class.* = huc illuc curro ; actus discurrendi, discursatio, excursio ;
non class. = disserere, loqui ; sermo, dissertatio, sermonatio
- dispensare, -atio* : *class.* = distribuere, ordinare, administrare ; distributio, administratio (aerarii, etc.) ;
non class. = eximere, immunem reddere ; exemptio, immunitas, privilegium
- distractio, -ctus* : *class.* = separatio, divisio, revulsio, etc. ;
non class. = mentis evagatio ; mente evagatus, aberrans
- districtus* : *class. particip.* = propter negotia in angustias redactus, distentus, occupatus ; hinc etiam : severus, rigidus ;
non class. = « territorium, tractus, ambitus » in quo dominus vassallos suos « distringere potest » seu per mulctam et poenam compellere ad aliquid faciendum, etc.
- dissertatio* : *class.* = sermo, disputatio (ore habita) ;
non class. = tractatio, commentatio, libellus, opusculum
- elogium* : *class.* = brevis titulus vel inscriptio monumentorum in laudem alicuius ; mentio in testamento facta ;
non class. = laudatio seu brevis narratio vitae alicuius
- extremus liber, extrema epistola vel pagina* : *class.* = finis vel extrema pars libri, epistolae, paginae ;
non class. = postremus, ultimus, extremo loco positus
- extrinsecus* : *class.* = adverb. : extra, vel potius ab externo ;
non class. = adiect. : exterior, extimus
Idem dicas de *intrinsicus*
- fatalis* : *class.* = ex fato impendens, fato destinatus ;
poët. et post class. = noxius, exitialis, infelix, tristis
- favor* : *class.* = voluntas, studium, plausus ;
non class. = de rebus, v. g. de fortuna, pro : occasio et beneficium fortunae
- festivitas, festivus* : *class.* = laetitia, lepos, iucunditas ; urbanitas ; hilaris, iucundus, laetus, lepidus, facetus ;
non class. = festus dies seu apparatus ludicrus ac laetus, qui festis diebus haberi solet ; festus, sollemnis

fictio : *class.* = actus fingendi, formandi ;

postclass. = fabula, res ficta, commentum

filum orationis, sententiarum, etc. : *class.* (Cic. 3 *Or.* 26. 103 ; *Amic.* 7. 25, etc.) = textura verborum ac stilus, elaboratio ;

non class. = cursus, series orationis, sententiarum ;
longius labi = perdere il filo ; ad propositum reverti = riprendere il filo

firmamentum : *class.* = firmitas ; id quo quippiam firmatur ne vacillet aut ruat ;

non class. = caelum (in quo stellae fixae sunt)

fragmentum : *class.* = fragmen, pars rei fractae ; v. g. fr. tabularum, ramorum, tegularum, cristalli ;

non class. = de libris vel scriptis deperditis ; pro : reliquiae, pars non integra, quod restat ex libro qui periit, etc.

gentilis : *class.* = eiusdem gentis ;

non class. = 1. barbarus, vivens non lege civili Romanorum ; 2. non iudaeus ; non christianus, deorum cultor

gentilitas : *class.* = coniunctio gentilium ; gentiles ipsi ;

non class. = religio eorum qui christiani aut Iudaei non sunt ; ii ipsi qui christiani aut Iudaei non sunt

genuinus : *class.* = innatus, naturalis, natus ;

non class. = verus, bonus, germanus

gratiosus : *class.* = qui gratia apud alios valet, vel aliorum gratiam sibi facile conciliat, etc.

non class. = festivus, iucundus, elegans

gustus : *class.* = sensus linguae, quo sapes dignoscimus ; sapor ipse ;

non class. = sensus, iudicium, elegantia, venustas, etc.

humanus, -ior, -issimus : *class.* = ad hominem pertinens ; lenis, mitis, facilis, benignus ; cultus, eruditus ;

non class. de doctrina, artibus, litteris, studiis ; pro : litterarum antiquarum studia, artes bonae, liberales, ingenuae, honestae ; studia humanitatis et litterarum, etc.

humilis, -litas : *class.* = humo propior, ab humo non alte se extollens, humi declivis ; ignobili genere vel fortuna ; abiectus, vilis, parvus, etc. (de animo) ; situs

- terrae humo vicinus ; generis ignobilitas ; (animi) abiectio, vilitas, demissio ;
non class. de virtute animi, quae superbiae vitio opponitur ; (voces omnino in usum recipiendae)
hypothesis : *class.* (Cic. graecis litteris semper scribit) = quaestio definita et certa, causa (in oppos. ad « thesim » seu quaestionem infinitam, propositum) ;
non class. = conditio (seu : thesis, propositum)
iamdudum : *class.* = post aliquod tempus, sed non longum ;
non class. = iampridem, post longum tempus
indolentia : *class.* = vacuitas doloris
non class. (vitandum) = ignavia, segnitia, socordia
inimicus, i : *class.* = qui privatis odiis alium persequitur, contrarium est *hostis*, qui publicus est ;
non class. et *poët.* = (publicus) hostis
innatus : *class.* = simul natus, nativus, insitus ;
non class. = non natus (TERTULL., PRUD.)
intentio : *class.* = extentio, contentio ; conatus, cura, occupatio ...
non class. = propositum, consilium, mens, animus, animi voluntas
intercedere, -ssio, -ssor : *class.* = intervenire, interiacere ; interponere se spondendo ; opponere se, obstare et impedire ne aliquid fiat ;
non class. = precari, patrocinari ; precatio, etc.
iuxta : *class.* = apud, prope (viam, aedem, murum ...) ;
non class. = secundum (iuxta Horatium, Plinium ; iuxta responsum, etc.)
lapidare, -datio : *class.* imperson. = lapidibus pluere ; casus vel iactus lapidum ;
non class. = lapidibus aliquem petere, obruere, cooperire, etc.
licentia : *class.* = facultas, venia, libertas agendi (ad arbitrium) ; intemperans et immoderata libertas ;
non class. = 1) permissio seu permissus, concessio, facultas ; 2) dimissio, missio, commeatus (de militibus) ; missionis probatio, honorifica dimissio, honoris causa dimittere (de studiis, artibus, etc.)
linea : *class.* = filum, funiculus ; ductus longus ac tenuis calamo aut penicillo signatus, etc.

- non class.* = versus (seu ductus vocum, qui fit a sinistra ad dexteram vel a dextera in sinistram, vel a summo ad imum secundum diversam diversarum gentium scribendi rationem); ital. *riga*, *linea*, *rigo*
- luridus* : *class.* = supra modum pallidus (pallor), ad nigrorem accedens, lividus;
- non class.* (vitandum) = foedus, lutosus, sordidus
- mediterraneus* : *class.* = qui in medio terrarum positus est et procul a mari; opponitur *maritimus* (ital. = entro terra, continentale; v. g. via, ager, oppidum, commercium, etc.);
- non class.* (S. Isid.) = mare Mediterraneum, quod Latinis erat: mare nostrum; m. medium, internum
- memoria* : *class.* = 1) facultas mentis; eius actus, seu recordatio ipsa; 2) *transl.* = tempus vel res praeteritae quarum memoria manet; historica narratio qua posteritatis memoriae consulitur;
- postclass.* = concreto, uti aiunt, sensu: ipsae litterae, historiae, monumenta *memoriae* dicuntur
- memorabilis* : *class.* = memoria et laude dignus;
- non class.* substant. « memorabilia » v. g. Socratis, Romae, etc., pro: res, dicta, facinus, virtus memorabilis, memoria digna, etc.
- moralis* : *class.* = ad mores pertinens, v. g. philosophia;
- non class.* (vitandum) = de personis, v. g. homo moralis
pro: probo, honesto, bono, bene morato
- mundus-a-um* : *class.* = purus, tersus, nitidus (sensu physico);
- non class.* = sensu ethico: purus, integer
- mundus* : *class.* = mundus muliebris (quo mulier mundior, ornatior fit); universus orbis, universitas rerum;
- non class.* = sensu biblico (graece κόσμος) = profani et corrupti homines
- mundanus* : *class.* = ad mundum pertinens; incola vel civis mundi;
- non class.* = 1) laicus (contrarium *clericus*: Cassiod.);
2) qui pravos « mundi » mores illecebrasque sequitur
- nepos* : *class.* = 1) *proprie*: filius filii vel filiae meae, et refertur ad avum et aviam; 2) prodigus, helluo, ganeo
- non class.* = fratris aut sororis filius

notarius : latinis fuit is qui brevibus notis aliorum dicta citissime excipiebat et exscribebat (*ital.* stenografo) ;
non class. = tabellio, scriba, librarius (qui antea servi publici erant magistratibus inservientes ; postea vero notariorum ars et munus sui iuris facta sunt)

notitia : *class.* = *pass.* est esse notum ; *transl.* = cognitio, notio ;

non class. = nuntius ; sic etiam : notitiae historicae = excerpta ex historia, commentarii historici, etc.

obiectum : *class.* plur. num. = res obiectae, crimina imputata ;
non class. : *philosophice* (retinendum) = 1) res menti vel oculis obiecta, exhibita ; 2) scopus, finis, propositum

occurrere : *class.* aliquid occurrit, occurrit in mentem, occurrit animo, etc. ;

non class. : v. g. hoc vocabulum apud Ciceronem non occurrit, pro : non est, non legitur, non invenitur

oratio : *class.* = sermo, locutio oratoria, eloquentia ;

non class. = preces, precatio quae ad Deum habetur

paganus : *class.* = qui in pagis habitat ;

non class. = non christianus, idololatra, deorum cultor (vel quia in solis pagis et villis Gentilium superstitio servabatur, cum christiana religio passim vigere coepit in urbibus ; vel, rectius, quia apud veteres Romanos, *pagani* dici consueverunt homines non militantes, et contraria fuerunt haec duo, *miles* et *paganus* [Ethnici non militabant sub Christi vexillo] ; vel aliis de causis).

passim : *class.* = sparsim, huc illuc sine ordine, omnibus locis ; sine discrimine, promiscue ;

non class. = nonnullis vel aliquot vel multis locis, non semel, non raro

parochus : *class.* = publicus provisor vel curator (cui cura incumberebat praebendi ligna, foenum, salem, tectum iter facientibus reipublicae causa) ;

non class. = qui curam animarum suscipit et Christi fidelibus necessaria ad salutem suppeditat

persecutio, *-cutor* : *class.* = actus persequendi in iudicio reum ; qui ius suum in iudicio persequitur ;

postclass. = insectatio, vexatio ; insectator, vexator : praesertim Christianorum

persona : *class.* = larva histrionalis ; simulacra et imagines hominum capita vultusque ferentes ; histrio ipse ; conditio, status, munus quod quisque gerit ; homo hanc vel illam personam gerens ;

non class. = homo simpliciter ; sic etiam : multae personae, pro : multi (homines) ; *in persona*, pro : ipse, praesens, coram

praedicare, -cator, -catio : *class.* = publice pronuntiare, divulgare ; commemorare cum laude (*ital.* divulgare, bandire ...) ; celebratio

non class. = orationem sacram habere ; qui publice christianam religionem divulgat et docet ; sacer praeco ; sacra oratio

praesumere, -ptio : *class.* = ante sumere ; in antecessum adquirere seu praeoccupare ; ante facere ; opinari, credere ;

non class. = 1) audere, arrogare ; 2) sine ratione aliquid expetere et expectare ; audacia, confidentia ; praeiudicata opinio ; superstitio

praetendere : *class.* = aliquid ante rem aliquam tendere ;

non class. (vitandum) = poscere, postulare, flagitare ;

praetendens, pro : aemulus regni, qui regnum affectat

prolixus, -xe : *class.* = in longitudinem latus, protentus ; liberalis, largus, beneficus ;

postclass. = longus, copiosus, diffusus, verbosus

proximus : *class.* : adiect. = valde vicinus, maxime propinquus (de rebus, locis, personis, etc.) ;

non class. ut substant. = alios, homines, alterum ...

purgamentum : *class.* = sordes ;

non class. = purgatio

purus : *class.* = mundus, integer, nihil sordidum aut alienum admixtum habens ;

non class. = merus, solus

rationator, *rationarium* : *class.* = a rationibus, calculator ; supputatio, calculi subductio ;

non class. = qui aliud ex alio colligit, argumentatur ; ratiocinatio, syllogismus

reatus : *class.* = status seu conditio rei in iudicio detenti ;

postclass. = crimen, culpa ipsa qua quis reus est

recitare, -tatio, -tator : *class.* = scripturam, orationem, carmen clara voce et elata legere ut alii audiant ;

- postclass.* = ex memoria exponere, memoriter dicere vel pronuntiare
- regula* : *class.* = instrumentum quo lineae diriguntur; morali ratione est lex, exemplum, norma, ratio ;
- non class.* = lex, praeceptum (grammaticae, etc.)
- relatio* : *class.* = delatio, expositio ;
- non class.* in philos. = habitudo, respectus
- reparare* : *class.* = rursus parare, rursus emere ; renovare, instaurare, reficere, recreare ;
- non class.* (vitandum) = reparare damnum, iacturam, etc. pro : sarcire, resarcire damnum, etc.
- se amare* : *class.* = *ital.* ; essere egoisti ;
- non class.* (vitandum) = amarsi a vicenda
- specimen* : *class.* = iudicium, exemplum, argumentum, imago (proprie et transl.) : tantum in sing. num. ;
- non class.* = delineatio, rudimentum, experimentum : v. g. specimen adnotationum, operis vel libri
- stilus* : *class.* = 1) instrumentum scriptorium ; 2) *transl.* ipsa forma scriptionis seu structura verborum, character, phrasis, genus dicendi ; 3) scribendi exercitium ;
- postclass.* : stilus ciceronianus, virgilianus, graecus, latinus, etc., pro : dicendi modus, ars, genus ; color
- stupor* : *class.* = alienatio quaedam mentis quae hebetes reddit sensus ; hebetudo, torpor, stupiditas ;
- postclass.* = ingens admiratio (Iustin.) ; tumor, superbia (Cyprian.)
- talentum* : *class.* = nummus ingens varii pretii ;
- non class.* = ingenium (vitandum)
- tenor* : *class.* = aequabilis continuatio seu progressio ; apud Grammat. = accentus ;
- postclass.* apud Ictos = sententia, argumentum (v. g. tenor legis)
- terminus* : *class.* = lapis positus ad denotandos fines agrorum, etc. ; deus Terminus ; etiam : finis cuiuscumque rei ;
- non class.* (vitandum) = vox, verbum, vocabulum ; vel etiam : dies dicta, data, praestituta
- textus* : *class.* = ratio texendi, textura, opus texendo perfectum ;
- postclass.* = scriptum, verba scriptoris, contextus orationis (Quintil., Ammian., etc.)

tradere, -ditor : *class.* = dare, dedere ; narrare, etc. ; qui dat, qui tradit, praebitor ;

non class. = prodere ; proditor

traditio : *class.* = actus tradendi, datio ; institutio, doctrina ;

non class. = memoria ; litterae (tradizione scritta), fama, sermo (trad. orale). Retineatur *traditio* ut vox propria theologiae (post Gell. et Script. christ.)

traducere, -ctio, -ctor : *class.* = transvehere, traicere, transferre ; transvectio ; qui traducit seu transfert ;

non class. = vertere (latine) ; conversio, interpretatio ; interpres, qui vertit

transgredi, -gressio : *class.* = ultra gradior, transeo ; transitio, transitus ;

non class. sensu morali = violare, violatio

per transennam : *class.* = procul, obiter et summatim (inspicere), quasi per cancellos ;

non class. = in transcurso, in transitu, quasi praeteriens, leviter, breviter tangere rem (vitandum)

unio -onis : *class.* masculini generis = margarita grandior

postclass. = (vitandum) unitas, coniunctio

usurpare, -atio : *class.* = frequenter utor, adhibeo ; frequens usus, tractatio ;

postclass. apud Ictos = acquirere, vindicare, suum facere, occupare ; usucapionis interruptio, possessio

videri : *class. ital.* « sembrare » ;

non class. = (vitandum) « cerni, adspici », etc.

vigilia : *class.* = vigilatio, insomnia, metaph. = cura, diligentia ; plur. num. = custodes ipsi qui vigilant ;

non class. = vigiliae, nocturna sacra, dies profestus

vivens : *class. particip.* = vitam habens ;

non class. substant. viventia = animantia, mortales, qui vivunt.

28. Multa verba nova habent Iurisconsulti,

quae de-

cursu temporum ex vario populorum eorumque legum concursu, sensim iuris latinitatem, sanctius quam ceteris in documentis usque ad Iustinianum custoditam, totam inferunt. Ceterum purior quam in iure canonico, mansit civilis

iuris latinitas, quippe quae mordicus vetustis Romanorum legibus haereret ac firma definitaque in suis formulis vocibusque propriis perstaret.

« Non tamen est cur quis in iurisprudencia abstinere velit a vocabulis veterum iurisconsultorum, si forte illa (aut illorum nova significatio) in auctoribus classicis praesidium non reperiant. Sunt enim haec e familia latina et Iurisconsultis propria, quemadmodum multa medica habet Celsus, multa architectonica Vitruvius, multa rustica Cato, Varro, Columella, quae latina esse nemo negabit, quamvis apud Ciceronem aliosque non legantur »¹.

Utile tamen erit, nisi quando data opera et fuse agatur de rebus iuridicis, huiusmodi verba afferre quibusdam remediis praemunita : « sic vocant Icti, ut dicunt Icti, quam vocant Icti, etc. », quo melius sermonis latini integritati consulatur.

Plura dantur *lexica iuris civilis et canonici* (v. g. Brissonii, Hotmanni, Pratei, Vicatii, cet.) quibus vocabula propria explicantur et aliquando emendantur. Plures etiam dantur Iurisconsulti qui optime latine scripserunt : ut sunt Goveanus, Ant. Augustinus, Covarruvias, Brissonius, Cuiacius, Alciatus, Hotmannus, Heineccius, Vinc. Gravina, Maiansius, Ianuarius, Ios. Averanius, Devotus, cet.

29. Quid dicendum de latinitate philosophica et theologica seu « scholastica » ?

Ea est quam philosophi ac theologi saeculi XII-XIII in usum scholae finxerunt. Multa ibi bona sunt, plura vero reicienda. Legitime fictus est modus ille loquendi, atque ideo legitime nostris etiam diebus usurpari potest. Cicero ipse volens graecam philosophiam explicare lingua romana, difficultatem verborum expertus est ac debuit invitus plura novare. « Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur cogitans in omni arte, cuius usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituentur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur. Itaque et dialectici et physici utuntur iis, quae ipsi Graeciae

¹ HEINECCIUS, *op. cit.*, p. 66.

nota non sint, geometrae vero et musici, grammatici etiam more quodam loquuntur suo ... Quin etiam agri cultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc philosopho faciendum est ... Quod si in ea lingua (graeca), quam plerique uberiores putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere ? »¹.

Recte igitur veteres illi philosophi ac theologi, ut iam Aristoteles, quem explanabant, in lingua graeca ausus erat nova derivando et componendo fingere verba, eius vestigiis insistentes, multa ex graeca in latinam linguam induxerunt, multa in ipsa latina per derivationem novarunt, quae aptissima videntur penitioribus animi sensibus ac mentis humanae inquisitionibus declarandis.

Etsi enim quaedam apte possint et elegantius cicero-nianis vocibus efferri, non est ambigendum quin scholastica philosophia et theologia, fide divina illustratae et ad illam ipsam collustrandam, humanarum divinarumque rerum naturam tam clare, tam praecise, tam copiose penetraverint atque tot eruerint vera, ut ad ea significanda iam verba non suppeditarent veteres scriptores, et necesse haberent fingere novas voces ac prope novum dicendi genus simplex, definitum, ad omnes cogitationis latebras, plicaturas, umbras exprimendas flexile, perspicuum. Quis enim penitus res humanas et divinas scrutatus est quam S. Thomas Aquinas expressitque clarius et aptius ? Quis S. Anselmo eloquentius ? quis S. Bonaventura suavior ?

At si verba illa propria philosophiae possunt legitime usurpari in philosophicis ac theologicis tractationibus et scholis, sicuti, ut diximus, iure retinenda sunt verba propria doctrinae christianae, nulla iusta causa recipi possunt in decora latinitate tot verba, utique illa aetate media confecta barbata, minime necessaria, quae tantum produnt in scriptore latinae linguae imperitiam et in ea addiscenda ignaviam.

¹ CICERO, 3 *De Fin. Bon. et Mal.*, c. I-II, 3-5.

CAPUT IV

DE VERBIS NOVANDIS

Art. I. AN ET QUIBUS CAUTIONIBUS LICEAT NOVARE VERBA LATINA

30. Licuit semperque licebit ...

Iam veteres scriptores latini, Cicero, Horatius, Quintilianus, quos supra n. 16 citavimus, aperte nos edocent novandorum verborum facultatem, sumptam quidem prudenter atque pudenter, semper dari. Ratio autem potissima quam illi ipsi afferunt, est, quod quaevis lingua viva, sicut animans quodvis, cadentia perpetuo reficit elementa, seu quaedam verba mutat et sensim amittit ut inutilia et obsoleta, novaque continenter adsciscit ac veluti animat.

Atqui latina lingua, non quidem in intima perpetuaque sui explicatione mutationeque, at vero in doctorum consuetudine, viva est. Omnino de tota hac re cum doctissimo Hier. Lagomarsino¹ idem sentio, quod M. Antonius Flaminus² de eadem sensit. Qui in epistola ad Basilium Zanchium datam, haec inter alia habet (italice quidem scripta): « Si verum est periisse linguam latinam, qui possumus nos latine scribere? quomodo autem periit, si flos eius ac venustas in tot scriptis orationibus et carminibus servatam habemus? si hodie etiam, haec eius venustas non percipitur modo, sed ita quoque adhibetur, ut revera dici possit, elegantius ea nostri temporis scriptores uti, quam

¹ Cfr. eius adnotationes ad Pogiani Epistolas, vol. III, p. 338 sqq.

² Eius epistolam, italice scriptam invenies in Cominiana editione anni 1743, pag. 279 sqq.

antea numquam post felicissimam illam Caesaris Augustique aetatem ...

Si igitur verum est (et est verissimum) hodie latinam linguam servari, cognitam esse et usurpari a multis, qui illam didicerunt in iis ipsis libris ex quibus etiam antiquitus discebant qui eam callere cuperent: cur dicimus illud Horatii:

... licuit semperque licebit

signatum praesente nota producere nomen,
nostris etiam temporibus non valere? Qua ratione in bonis nostrae aetatis scriptoribus reprehendetur verborum novatio, quae semper in optimis scriptoribus antiquis laudata est? ...

Ex his ergo manifestum, ni fallor, omnia quae antiquis optimis scriptoribus licebant, et laudi erant, licere aequo iure laudandaque esse in bonis scriptoribus recentibus (in poetis praesertim), qui proinde sine reprehensione, immo laudabiliter nova fingere vocabula possunt, non ex necessitate tantum, sed etiam ad exornandam orationem ».

31. Quibus cautionibus verba novare liceat.

Tunc recte novantur vocabula, cum:

- a) *vel necessitas postulat*: quod iam veteres optimi scriptores latini praescripserunt. Etenim
LUCRETIVS l. V, v. 1029 habet:

« ... utilitas expressit nomina rerum »;

HORATIUS *A. P.* 48-49:

« Si forte necesse est
indiciis monstrare recentibus abdita rerum ... »,
et *lib. II, Epist. 2*, 119:

« nova, quae genitor produxerit usus ».

CICERO, *Orat.* c. 62 haec habet: « Neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina, sed cum verba aut suavitatis aut inopiae causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum, aut a simili mutuari ».

Inepte ergo et insulse ad unum Ciceronem totam latinitatem perstringunt quidam cum « ciceronianis » saeculi XVI, solaque Ciceronis verba probantes et sumentes ad quodvis exprimendum, non audent dicere « sacramentum, peccatum, confessio, Missa, rosarium, contritio » et sexcenta alia, quae solent obscura et saepe ridicula circuitione efferre.

b) vel suadet singularis utilitas, qualis est

- 1) « ad illustrandam atque exornandam orationem » (CIC. 3 *De Or.* 38, 152), « quae est poëtarum licentia liberior quam nostra » i. e. oratorum (*ibid.* n. 153);
- 2) vel etiam ad honestum iocum; sic Cicero ipse effinxit: *appietas, lentulitas, pseudocato, sullaturio*, etc.

Multa proinde poëtae recentioris aevi novarunt praesertim verba composita diminuta, in carminibus amatoriis et in naeniis. Cavendum tamen, etiam poëticae, ne ornatus lususque verborum in his tantum novationibus consistat.

c) nonnisi a viris acri iudicio praeditis et linguae latinae peritissimis, i. e. ab hominibus qui, ob scripta in lucem edita consuetudinemque latine scribendi, praecellentissimi obtinuerint existimari: non vero a discipulis aut ab ignaris scriptoribus et desidiosis, qui, ut laborem fugiant, summa ducti levitate, et latinam linguam de paupertate accusantes, omnia verba promiscue sumunt vel nova pessime fingunt, patria vocabula detorquendo. Si hac in re facile et omnibus dabitur facultas, brevi tota lingua corrumpetur.

d) parcissime novantur, ut ex dictis constat.

e) ex optimo fonte ducuntur, qui fons Romanis erat praesertim lingua graeca (cfr. LUCR. I, 136 sqq.; HOR. *A. P.* 53), *nec insolentius fiunt*, sed ex analogia cum aliis vocabulis ab optimis scriptoribus fictis et novatis, ut videlicet parcant auribus et consuetudini.

Art. II. QUIBUS MODIS, PRAEUNTIBUS OPTIMIS SCRIPTORIBUS, LATINE SINT INTERPRETANDAE RES NOVAE

32. Quibus modis veteres romani scriptores res novas significabant.

Sicuti nostro tempore, sic etiam antiquitus Romanis eveniebat ut, quae nova ipsi sua industria invenerant, vel quae per bella et commercia ex aliis gentibus mutuaverant, novis etiam nominibus deberent exprimere. Tribus autem modis haec nova inventa significabant :

a) *vel per circuitionem verborum seu circumlocutionem*, ut latinitatem, quoad fieri posset, incorruptam servarent ; atque ita, priusquam novum vocabulum fingerent, procedebant optimi scriptores, praeunte maxime Cicerone, qui « soleo etiam — aiebat — quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exprimere » (3 *Fin.* 4. 15).

b) *vel per analogiam significationis*

1) *propriae*, i. e. propriam alicuius vocabuli significationem inflectendo ad aliquid simile exprimentum ;

2) *translatae*, i. e. sensum vocabuli transferendo ad aliud quid significandum, quod tantum per translationem simile sit.

c) *vel per verborum novationem* i. e. nova verba latina fingendo, secundum tamen indolem et leges sermonis latini. Quod quattuor fere modis fiebat :

1) imitatione seu per onomatopoeiam

2) derivatione analogica

3) compositione analogica ex vocibus primitivis

4) *mutatione* — propria vel impropria — ex alia lingua.

33. Horum ergo vestigia nos etiam prememus,

si novae

occurrant res et inventa, quae probatis iam linguae latinae vocabulis exprimi nequeant.

Nec probanda videtur quorundam levitas in latine interpretandis novis rebus, ut cuique apparet ex tot novis lexicis verborumque indiculis, qui viam aptae interpretationis latinae rerum vel difficillimarum discipulis recentibusque doctoribus commonstrare volunt, iidemque facilem praebere thesaurum latinitatis iis, qui sui periculum in latinis litteris facere scripto debent.

Neque aliorum simplicitas placet in legibus investigandis et statuendis, ad quas novae res sint latine exprimenda. Nullum praeterea inveni, qui rem totam clare et definite praescribat. Quare breviter et clare rem absolvemus, conantes utrumque vitare, latinitatis nempe plus nimio sollicitam diligentiam, ne inepti et obscuri in latinae linguae consuetudine evadamus; et ex altera parte minus accuratam puri sermonis latini conquisitionem, ne hic paulatim penitus corrumpatur.

§ 1. *De rebus novis latine exprimendis per circumlocutionem.*

34. Circuitionis verborum natura et usus apud antiquos scriptores latinos.

Circuitio verborum (vel circumlocutio, vel graece periphrasis) est pluribus verbis aliquid explicare, quod vel paucioribus poterat, vel proprio vocabulo exprimi nequit. Adhibetur interdum ad ornatum, praesertim apud poëtas, saepius ex necessitate cum deest vox propria, aliquando etiam ex decentia, ad operienda dictu deformia (Qt. VIII, c. 6).

Sermo hic est de usu circuitionis ex necessitate, ut nimirum ea circumscribamus quae, cum nova sint, proprium non habent in latinitate vocabulum nec facile inveniunt.

Vidimus iam Ciceronem solitum esse, si aliter non posset, pluribus verbis exponere id quod Graeci uno exposuissent (3 *De Fin.* c. 4; 16); v. g. *convenientia et coniunctio naturae*, quam vocant συμπάθειαν (2 *Divinat.* 69, 142); *ad (ultimum) finem pertinentia* (sic enim appello, quae τελεκά dicuntur) (3 *De Fin.* c. 16).

Nec tantum ex necessitate seu ex inopia verborum con-

gruentium Cicero usus est circuitionibus, at saepe etiam ratione stili, seu ad maiorem rei intelligentiam, praesertim in notionibus abstractis exprimendis, et ad ornatum seu ad periodum rotundiores efficiendum et sollemniores.

35. Leges de usu circuitionum verborum.

Ne autem, puram latinitatem quaerentes, incerti, obscuri, impediti fiamus, circumlocutiones debent esse :

a) *quam brevissimae*, cum summam rei, non minima quaeque persequi et circumscribere debeant ;

b) *non vagae et obscurae*, sed quae totam et solam rei naturam seu definitionem exprimant ; v. g. incertae videntur hae periphrases :

dattilografia = digitorum appulsus (etenim tot etiam musica instrumenta « digitorum appulsu » tractantur ; aptius igitur et clarius vocabitur : « dactylographica ars » ;

la radio = docilis capsella modorum (V. GENOVESI) ; poëtice : esto ! at definitius soluta oratione : « radiophonicum instrumentum ; capsella radiophonica ». Sic etiam idem Poëta vocat « vocales vel canoras undas », quas clarius dixeris « radiophonicas undas ».

razionalismo = « ratio eorum qui ratione nituntur » : circuitio vaga ; aptius = « humanae rationis principatus » (*Acta Leonis* 1888, p. 224) vel « doctrina qua creditur unius rationis ope omnia posse cognosci », « superba rationis fiducia ; uni fidere rationi ».

c) *non inutiles, continuæ vel frequentiores*, ita ut orationem impeditam reddant et difficilem. Si ergo plures notiones novae sint continenter vertendae, aliae etiam sunt tentandae viae.

d) *formatae secundum propriam latinae linguae indolem* et modos in illis componendis usitatos, quorum dabimus praecipuos.

36. Modi praecipui quibus latini scriptores periphrases fingebant.

1. Nomina quae munera, ministeria, dignitates, artes significant, possunt latine reddi

- a) vel praepositione *a*, *ab* praeposita nominibus illud munus indicantibus. Hic tamen modus primum et semel occurrit apud Ciceronem (8 *Att.* 5, 1: « servus a pedibus »), saepius aetate Imperatorum, saepissime post ipsos, praesertim in Inscriptionibus, et semper praecedit « servus, libertus, verna, faber, medicus ... » vel nomen proprium, sequitur vero genetivus, rarius dativus ; V. g. (cfr. FORCELLINI, *Lexicon*, sub *a*) :

servus ab hortulis, a bibliotheca graeca ;

serva a sandalis, liberta a manu ;

libertus (vel proximus) a studiis, a memoria, a libellis, ab epistolis, a codicillis, a commentariis, a cubiculo Augustae ;

procurator ab ephemeride, a mandatis, a pinacothecis, a veredis ;

scriba ab epistolis latinis ; faber a Corinthiis ;

aedituus a Vesta ; figulus ab imbricibus ; medicus ab oculis ; Alexius Caesaris Augusti a bibliotheca ; Claudius Eusthenius Diocletiano ab epistolis ; etc.

Quare nos etiam possumus dicere :

(adiutor) a studiis = aiutante di studio ;

(scriba, adiutor, praepositus, procurator, etc., vel nomen proprium) ab epistolis, a commentariis, a secretis (= segretario), *a rationibus* (= computista, ragioniere) ;

Sempronius a cubiculo (= cameriere, ciambellano), *a consiliis* (= consigliere, consultore), *a negotiis publicis* (= ministro di Stato), *a tabulario* (= archivista), *administer a relationibus rerum exterarum* (= ministro degli Esteri), *a cellariis* (= cantiniere, dispensiere), *a veste, a supellectile* (= guardarobiere), etc.

- b) vel substantivo coniuncto cum gerundivo in casu dativo commodi, qui dicitur ;

v. g.¹ : *coloniis regendis moderandisque administer* (= ministro delle Colonie) ;

agriculturae provehendae, vel commercio moderando provehendoque administer (= ministro dell'Agricoltura, del Commercio).

- c) Nomina quaedam nostratia cum terminatione graeca *-ista*, iam barbara latinitate confecta et usurpata, vel impune recipiuntur, praesertim in latinitate didactica, quippe usu fere consecrata, vel, melius, periphrasi circumscribuntur. Idem dicatur de tot vocabulis recens analogice cum illis confictis in *-ista* et *-ismo* (vide infra ad 2) ;

V. g. *atheista* = divinitatis infitiator ;

anabaptista = iterati baptismatis assertor ;

Calvinista, Donatista = Calvini vel Donati assecla, sectator ; vel Calvinianus, Donatianus ;

papista = Romani Pontificis fautor ; catholicus ;

materialista = unius materiae assertor, spiritus infitiator ;

iurista = iuris interpres vel consultus vel peritus, etc. ;

statista = vir peritissimus rerum civilium, etc. (Cic. 1 Rep. 21).

- d) Nomina in *-atus*, quae munus, dignitatem, etc. indicant, interdum, consuetudine innixi, usurpamus ; elegantius tamen variis circuituum formis interpretabimur.

V. g. *episcopatus, patriarchatus, vicariatus, presbyteratus, diaconatus* (quae quidem legitime ex usu retinebuntur) *generalatus, provincialatus, rectoratus, prioratus, decanatus, ducatus*, etc. = dignitas pontificalis, auctoritas, munus, officium, gradus, ordo sacerdotalis vel leviticus, hierarchiae, vicarii, curionis, praepositi vel moderatoris generalis, provincialis ; rectoris, decurionis, ducis, etc.

¹ ANT. BACCI, *Lexicon eorum vocabulorum quae difficilius latine redduntur*, Societas libraria « Studium », Romae, 1949.

2. Bonae artes doctrinae philosophicae vel theologiae, facta socialia, etc. indicantur vocabulis: *scientia, ratio, disciplina, doctrina, ars, studium*, etc. quibus succedit

- 1) vel propositio relativa (*quae ... quā ...*);
- 2) vel *de* et ablativus casus substantivi aut gerundivi;
- 3) vel genetivus.

V. g. *idealismo* = philosophandi ratio, qua omnia ad mentis cogitata reducuntur (BACCI, *op. cit.*);
sindacalismo = corporatorum opificum (artificum, etc.) ratio, doctrina, disciplina; vel: de ineundis moderandisque opificum (artificum, operarum, operariorum) collegiis ratio, doctrina, disciplina (BACCI, *ibid.*);
urbanesimo = nimium urbanae vitae studium (rure relicto) (BACCI, *ibid.*);
nazionalismo (*giusto, eccessivo*) = (moderatum, nimium) nationis vel gentis suae amplificandae studium

3. *Frequenter substantiva* quaedam abstracta et nova *circumscribuntur latine propositione aliqua* relativa, obiectiva, interrogante indirecta, participiali, temporali, concessiva, conditionali, declarativa, etc. Videas infra nn. 115-117.

4. Multae praeterea dantur formae circuituum ex substantivo et adiectivo vel participio, vel ex pluribus substantivis cum attributo vel sine attributo. Sed hoc est semper in primis attendendum, ut quam plenius et definitius natura ipsa rei exprimatur. V. g.

nudismo (*in moribus*) = immodicum nudationis vel nudandi corporis studium; inverecunda nudandi corporis ratio;

(*in arte*) = nudi corporis repraesentandi ratio

patriottismo = pietas erga patriam; studium reipublicae (SALL.); patriae caritas, studium, amor

verismo = nuda veri repraesentatio (BACCI)

fronte della famigliu = hominum vel civium conspiratio ad familiam defendendam (cfr. CIC. XII *Fam.* 15. 3)

impermeabile = lacerna vel paenula non meabilis aquā ;
 lacerna oblecta gummi (GENOVESI) ; vel paenula
 impermeabilis (ex analogia cum *impenetrabilis*) etc.
ore di punta = horae maximae frequentiae, vel quibus
 maxima est (in urbe) celebritas vel frequentia vel
 commeatus

equilibrio = aequabilis compensatio

civiltà = vitae cultus, vita cultior, exculta hominum
 vita

corruzione, decadimento morale = lapsi mores (ad mol-
 litias) (CIC. 2 *De Leg.* 15, 38)

comunismo = aequationis bonorum doctrina, vel ratio

calendario = compositio anni

cronologia = ratio vel ordo temporum

carteggio = litterae mittendae accipiendaeque ; litterae
 missae acceptaeque (vel allatae) alicuius (CIC.)

dogmatismo = certae quaedam destinataeque sententiae

dispotismo = unius dominatio

democrazia = populi imperium ; popularis respublica ;
 ratio popularis

barricate = intersaepta itinera (CIC. *Balb.* 18)

antitesi = verba contrarie relata ; contraria -orum

anglofilia = studium sensusque Anglorum : (cfr. stu-
 dium sensusque Poenorum = Punismo, il parteg-
 giare per i ... : CIC. *Balb.* 17) ;

cfr. etiam : « animi romani sunt alicui (LIV.) = *par-*
teggiare per i Romani ; Gallicis rebus favere (CAES.)
 = *filogalli* ; mente animoque nobiscum sunt (TAC.)
 = *parteggiare per uno*, etc.

privilegio = praecipua lex, ius praecipuum, etc.

proprietà, caratteristica, particolarità = certae res cuius-
 que propriae (CIC. 3 *De Or.* 9, 34)

assioma = certa stabilisque sententia

massima = stabilis ratio et firma

riconoscimento (di un merito, etc.) = iusta iudicia

tema = res proposita ; *t. scritto* = positio scripto de-
 claranda

inesorabilità = inexorabilis animus

rassegnazione = aequus animus ; aequitas animi

gratitudine = gratus animus ; beneficii gratia

umore (d'animo) = mobilis impetus; naturae vel animi habitus; atra bilis = *malumore*
popolarità = commendatio in vulgus
miglioramento (di salute) = allevatum corpus; inclinata in melius valetudo (CELS.)
mumma = cadaver medicatum (PLIN.)
necrologio = laudatio funebris, etc.
metodo = ratio et via.

Et generatim omnes fere recentes *graecismi* (cfr. n. 75-76), multaque alia verba novata possunt hac ratione latine verti.

37. Poëtarum licentia liberior quam oratorum.

Cum periphrases sint fere rerum definitiones, magnam afferunt ubique perspicuitatem si apte concinnentur; si praeterea sint venustae minimeque inflatae aut vagae, mirifice conferunt ad orationis proprietatem et ornatum, « non secus atque in musicis principalis significatio (*leitmotiv*) fit ex variarum vocum concentu suavior »¹.

Poëtis ideo maior in his usurpandis datur libertas. Quae tamen ab illis finguntur, cum saepe sat vagae sint et verbis, figuris, constructionibus luxuriantes et audaciores, minus solutae orationi aptantur.

In soluta enim oratione, cum res ipsae potius attendantur, quam ornamenta, debent illae ex circuitationibus clare significatae intelligi, non vero ex toto textu materiae incerta coniectura erui.

§ 2. De rebus novis latine interpretandis per verba quoad significationem analogam

A) Analogia significationis propriae.

38. Natura et exempla huiusmodi analogiae.

Haec habetur cum propria alicuius vocabuli significatio detorquetur et extenditur ad aliquid simile exprimendum.

¹ LONGINUS, *De Sublimitate*, 28.

Non ideo mutatur ex integro verborum vis, non corrumpitur, sed fere ditatur amplectendo alias etiam res vel novas vel parum ab antiquis mutatas, at semper illis aliqua ratione affines.

Ita v. g. illud CICERONIS 14 *F'am.* 1: « non defatigari *laboribus animi*, neque *corporis* » [= fatiche mentali e materiali], facile et clare cum VITRUVIO 8, 3 detorquemus: « sulphurosi fontes *nervorum labores* reficiunt » [= risanano dalla *nevrastenia*].

Sic varios ludos, qui nostro tempore, mutata quidem ratione, habentur vocanturque *foot-ball* vel *gioco del calcio*, *rugby*, *palla a volo*, *gioco degli scacchi*, etc., nonne possumus latinis iam et ludis et nominibus comparare et efferre hoc modo: *harpasti* vel *follis ludus*, *oblongi follis ludus*, *follis ludus manibus actus*, *latrunculorum ludus*, etc. ?

Sic etiam [*carro d'*]ambulanza, autoambulanza [*militare*] verti potest: *militaris arcera*, *automataria arcera* [*militaris*]. « Arcera » enim (apud Varr.) est plastrum tectum undique ex tabulis (quasi arca quaedam magna) quo senes et aegroti cubantes vehebantur (FORCELL.).

Zingari: nonne aptius quam « praestigiatores » (ut vult Vallaurius) dicuntur latine *hamaxobii*, *orum* (PLIN. IV, 12, 25) quos ita describit Forcellinus: populi Schytharum, nullam certam habentes sedem, sed in plastris habitantes, pabuli causa locum subinde mutantes.

Quae vero variis aetatibus vario etiam nomine dicta sunt *corporazione*, *sindacato*, *gilda*, etc., apte redduntur latine per vocabula iam antiquitus ad idem fere exprimendum usitata: *collegium*, *sodalitium*, *corpus*, *consociatio* (*opificum*, *piscatorum*, *mercatorum*, *fabrorum*, etc.).

Recentia instrumenta bellica: *corazzata*, *carro armato*, *autoblindata*, *treno blindato*, etc. habent latina vocabula: *navis loricata* vel *cataphracta*; *essedum loricatum* [bellicis tormentis instructum]; *autocinetum loricatum*; *hamaxostichos cataphractus*, etc.

Nonne latina vocabula: *adversaria*, *orum*; *commentariolum*, *i*, optime vertunt chartas illas vel tumultuarias vel in librum varia forma et magnitudine compactas et diei vel mensis nota signatas necne, quas nos *agenda* appellamus, *notes*, *taccuino*, *libriccino per appunti*, (*Notizbuch*, *pocket-*

book...) *quaderno per brutta copia, promemoria*, etc. ? In his enim breviter et neglegenter adnotantur res, ne earum memoria excidat, et ut ex iis postea, si necessum sit, in iustos et aeternos codices digerantur. Ad hoc pertinebant adversaria.

39. Huius analogiae usus praecipuus habetur,

in significandis varii generis vestibus, instrumentis, muneribus, etc. in quibus non semper datur, quoad formam, usum, determinationem, perfecta congruentia antiqua inter et recentia (cfr. tamen n. 61, 67, b).

Multa pariter vocabula, sive ex graeco sive ex latino fonte, ad aliud quid affine significandum parum detorta sunt et apte accomodata a scriptoribus sapientiae christianae; v. g. *confessio* peccatorum, *contritio* cordis, vel animi, *tentatio*, *parochus* vel *curio*, *episcopus*, *sacramentum*, *cardinalis*, etc.; quorum multa, ut vidimus, bona sunt et retinenda, cum et bene rem exprimant, et sint iam usu consecrata.

40. Caute tamen procedendum et sapienter.

Haec licentia tribuendi verbis latinis affines quasdam significationes ut quaedam recentiora inventa possimus latine interpretari, prudenter sumenda est, id est:

- 1) ubi cogat necessitas, cui aliter {occurrere nequeamus;
- 2) cum detur talis analogia significationis, qua et recens inventum clare et definite latine exprimatur, et verbum vel locutio latina non nimis quoad vim propriam detorqueatur;
- 3) vitetur ideo prorsus significationis novatio non analoga, ne penitus cuiusque vocis vis propria mutetur. Multa exempla habes n. 27 collecta;
- 4) adhibeatur tantum a viris linguae et eruditionis latinae peritis; ex una enim parte ad hoc requiritur omnino ut quis penitus cognitam habeat vim verborum et scientiam rerum institutionumque antiquarum; ex altera vero parte acre iudicium est necessarium ne

temere et frequentius inutiliterque quid innovetur, atque inducatur periculum immutandi et corrumpendi linguam.

B) *Analogia significationis translatae.*

41. Huius natura et usus apud veteres scriptores.

Habetur haec analogia cum sensus proprius vocabuli transfertur ad aliud quid significandum, quod tantum per translationem simile sit.

Est enim translatio seu metaphora, vox a propria significatione translata ad alienam propter similitudinem seu analogiam. Quare translatio est « quasi mutuatio, cum, quod non habeas, aliunde sumas » (Cic. 3 *De Or.* 38, 156).

Hic vero usus translatae significationis frequentissimus est in omnibus linguis, siquidem per illum, quin vocabula in infinitum multiplicentur, res omnes clarius, dignius, ornatius, aptius, delectabilius exprimuntur. « Id facimus – ait QUINTILIANUS (VIII, 6. 5) – aut quia necesse est, aut quia significantius, aut quia decentius ».

Praeterea « nihil est in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine. Unde enim simile duci potest — potest autem ex omnibus — indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum, lumen adverre orationi » (Cic. *ibid.* 40, 161).

Innumera latini lexici (sicuti etiam in recentibus linguis) vocabula, a propria ad translata significationem detorta sunt. Praesertim vero christiani scriptores ad altiores sensus rerum divinarum exprimendos latinitatem accomodarunt coacti notionum novitate.

V. g. Cicero apte *membra* vocavit longiores orationis vel periodi partes, *incisa* breviores.

Humilitatem seu situm terrae humo vicinum, Cicero transtulit ad ignobilitatem vel generis vel animi interpretandam; scriptores vero christiani ad virtutem animi, superbiae vitio oppositam.

Lux non de solis tantum lumine dicitur, sed translate pro ipso die, pro vita, pro oculis, pro ornatu ponitur.

Negotium est res, cura, provincia, occupatio ; translate refertur ad difficultatem, laborem, molestiam ; factum, causam

murmur est susurrus, strepitus confusus hominum vel animalium ; translate occurrit de precibus submissa voce conceptis ; de strepitu maris et rerum inanimatarum.

A christianae sapientiae scriptoribus ad novas res significandas apte translata sunt verba latina : *absolutio, remissio, conversio, contritio, concupiscentia, confirmatio, iustificatio, redemptio, tentatio, tribulatio, gratia, peccatum* et alia sexcenta, quae iniuste et ridicule reicerentur.

42. Animadvertenda circa aptum translationis usum.

Cavendum primum est in hoc genere ne inter se conferas dissimilia, nisi interdum ad risum movendum, ut Plautus habet *lacrymas expuere* ; ne translationes in frigidas hyperbolas evadant ; ne simile nimis longe ducatur ; poëtis tamen maior hic datur licentia. Audaciores translationes temperentur generatim per « *tamquam, quasi, velut, ut ita dicam, quidam* » etc.

Usus praeterea translatae significationis ne sit immoderatus ut obscuritatem potius et frigidam affectationem generet, quam claritatem, ornatum, delectationem.

Castior Ciceronis aevo erat latinitas, cum ea translatis verbis, tamquam gemmis quibusdam, distingueretur. At coepit deinde, argentea aetate, corrumpi paulatim per exquisitiores imagines audacioresque translationes, quae latinam linguam quasi flumen super ripas per campos effusum, a recto suae indolis alveo extulerunt. Post ex necessitate fides christiana plures transtulit significationes verborum, ac tandem ita illae coeperunt in dies luxuriari, ut saeculo quarto Ammianus Marcellinus, Sidonius Apollinaris, Ennodius alique huiusmodi scriptores, nihil satis latinum putarent atque elegans, nisi quod esset translatum et allegoricum.

Neque lingua latina tot patitur translationes et imagines sicuti nostrae linguae recentes, neque semper eas ipsas, quas nostrae linguae recipiunt, at ex earum natura nimiaeque luxurie corrumpitur potius et cadit. Historia docet.

§ 3. *De rebus novis latine exprimendis per verborum novationem.*

43. Necessitas et modi novandi verba.

« Novantur verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt » (CIC. 3 *De Orat.* 38). Iamvero, Cicero ipse (cf. nn. 16 ; 29) difficultatem expertus in interpretanda Latinis graeca philosophia, aperte edixit « nobis etiam verba parienda esse imponendaque nova rebus novis nomina » (3 *De Fin.* 1, 3). Pauca ille quidem finxit nova verba (nec unquam in Orationibus), cum sat audenter teneret Latinos « non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores » (*Ibid.* 2, 5).

Qua novandi facultate, semper ab omnibus sanae mentis scriptoribus admissa, perpetuo usi sunt decursu saeculorum scriptores, christiani praesertim et recentioris aevi, quibus vel altior reconditiorque doctrina, vel nova humani ingenii inventa exprimenda erant latine. Itaque nobis etiam idem facere licebit, quippe quibus, succrescentibus quotidie rebus inventisque novis, eadem perpetuo occurrat necessitas.

Attamen in hac etiam parte maxima cum prudentia procedendum est, servando nimirum indolem, leges, modos novandi verba latini sermonis. Atqui quattuor fere modis, latinos scriptores secuti, illa novabimus.

I. *Modus novandi verba latina imitatione seu per onomatopoeiam.*

44. Onomatopoeiae natura et usus.

Figura est apud Rhetores, qua rei, cui nomen non sit, aut non satis idoneum, nomen imponimus, aut imitationis aut significationis gratia. Hoc modo revera novantur verba, etsi illa tantum quae aliquem sonum — praesertim voces animalium — referunt.

Patet hoc facilius poëtis concedi, quam oratoribus ¹ ; cumque multa iam apud veteres fuerint hac via novata,

¹ Cfr. FRONTON. 3 *ad M. Caes.*, 13.

difficile erit hoc in genere nova fingere, et revera non erit nimis cuiusque arbitrio indulgendum.

Multas huiusmodi voces invenies in carmine ignoti auctoris, quod inscribitur « De Philomela » ¹

accipiter *pipat*
 anas *tetrin(n)it*
 anguis *sibilat*
 anser *gracitat, clangit*
 aper *frendit*
 apis *bombilat, bombum edit (bombitatio)*
 asellus *oncat, asinus rudit*
 bos *mugit, mugitus edit*
 bubo *bubulat*
 camelus *blaterat*
 canis *latrat, vagit, baubatur, hirrit*
 capra *balat, musit*
 cicada *fritinit, trinitit*
 ciconia *glottorat*
 columbus *gemit, gannit, plausitat*
 cornix, corvus : *crocit, crocitat*
 cycnus *drensat*
 cucūlus *cucūlat*
 elephas *barrit*
 equus *hinnit, hinnitum edit*
 feles *felit, maumat*
 fringilla *fri(n)guttit*
 gallus *canit, cucūrit* ; gallina *glocit, cacillat*
 grillus *grillat* ; gruis *gruit*
 hirundo *trissat, fritinnit, cantillat, zinzilulat*
 leo *rugit, fremit, frendit*
 lupus *ululat*
 merula *fringultit, zinzilat*
 milvus *lipit*
 mus, sorex : *mintrit, destīcat*
 noctua *cucūbit*
 ovis *balat*

¹ Cfr. Aem. BAEHRENS, *Poetae latini minores*, vol. V, pag .363 sqq.

passer *pipit, pipilat, titiat*
 pavo *paupulat, pupillat*
 parrus *tinnipat*
 perdix *cacābat*
 rana *coaxat*
 sturnus *pusītat, pisītat*
 sus *grunnit*
 tigris *ranchat*
 turdus *trucīlat*
 vespertilio *stridit*; vultur *pulpat*; etc.

Neque deberet aliquis offendi, si praeter animalium et avium voces, varii etiam recentium machinamentorum soni, in carminibus praesertim, apte per onomatopoeiam redderentur.

II. *Modus novandi verba latina derivatione analogica.*

45. **Derivationis natura et elementa.**

Derivatio est nominum verborumque inflexio, ita ut ex uno fiat aliud, ut a *bonus bonitas*, a *lego lectito*, etc.

Elementa autem, cum fixa tum variabilia, quibus vocabula omnia derivata constant, tria sunt:

- a) *radix* seu *verbum primigenium*, quod est principale vocabuli elementum, plerumque monosyllabum notionemque continens ulterius definiendam per reliqua vocabuli elementa; v. g. *em* in vocibus *em-ere*, *red-im-ere*, *red-em-p-tor*, *per-im-ere*, etc. Non est igitur cum *themate* confundendum (quocum raro convenit); thema enim in nominibus est nomen sine casuum exitibus; in verbis est verbum sine terminationibus modorum, temporum, personarum.
- b) *suffixum* derivationis, seu syllaba verbo nativo annexa ad formandum *thema*, cui demum iunguntur terminationes flexionis.



Interdum *suffixa* possunt esse *secundaria*, quando verbo nativo iunguntur per aliud suffixum : v. g. suff. *tor* in *can-ta-tor*, *dic-ta-tor* ; vel *composita*, si in alia suffixa dividantur : v. g. suff. *tor-io*, *tor-ia*, in *scrip-tor-ius*, *vic-tor-ia*.

Quoad autem coniunctionem suffixorum cum radice et suffixorum inter se, animadvertendum est, quod cum radix in consonantem litteram exit et per consonantem pariter incipit suffixum, tunc immutantur consonae ad leges phonologiae. Saepe tamen in lingua latina hae mutationes devitantur interponendo inter radicem et suffixum, vocalem aliquam copulativam, quae plerumque est *i* vel *u* ; v. g. *frig-i-dus*, *mon-u-mentum*. At hae vocales copulativae tot passae sunt variationes ex falsa analogia, ut lex certa de illis dari nequeat.

- c) *exitus* seu *terminatio*, quae vocabuli munus denotat in periodo.

46. Modi derivandi nomina.

Nominum derivationes, ut docet *Diomedes* (I, p. 310 *Putsch*), septem modis fieri possunt ; nomina enim derivata sunt :

- 1) aut *patronymica* (quae tamen raro apud oratores inveniuntur) ex patrum maiorumque nominibus conficta ad aliquem ex posteris significandum. Haec fere ex graecis nominibus fiunt vel more graecorum, atque exeunt
in *-des* et masculina sunt primae declinationis ; v. g. *Pelides* ; *Aeneades*, *ae* ; *Dardanidae*, *arum*, etc.
in *-as* vel *-is*, quae sunt foeminina et, apud Latinos, tertiae declinationis ; v. g. *Thestias*, *dis* ; *Phaethontiaes*, *um* ; *Latois*, *dis*, etc.
in *-ne*, foeminina et, apud Latinos, primae declinationis ; v. g. *Adrastine*, *es* = *Adrastis*, *idis* ; *Nerine*, *es* = *Ne-*

reis, eidis ; *Neptunine, es* ; *Acrisione, es* (filia Acrisii), etc.

- 2) aut *possessiva*, quae vel rem possessam vel ad aliquem pertinentem significant. Ab omnibus nascuntur generibus, ad omnes res pertinent, in multas exeunt terminationes ;

v. g. *Peleius, Evandrius* (ensis), *regius* (honor) ; *hereditarius, uxorius* ; *Caesareus, Marcius* ; *Caesarianus, Marcianus, Tullianus, Pompeianus, Catilinarius, Messalinus, Verrinus, Corvinus* ; *Venusinus, Neapolitanus, Mediolanensis*, etc.

Priscianus (l. II, c. 8) possessivis adnumerat etiam quae formam habent possessivorum, ut quaedam gentilia, patronymica, patria, agnomina, professionum, disciplinarum, etc.

v. g. *Romanus, Latinus, Aemilianus, Africanus, Persicus, Italicus, Asiaticus, Alexandrinus, Cumanus, Aristotelicus, Socraticus, mechanicus, grammaticus, hostiarius, tabernarius, censorius, ferreus, marmoreus*, etc.

- 3) aut *paronyma* seu nomina concreta, quae denominantur ab alio nomine, a quo oriuntur. A latinis grammaticis vocantur *denominativa* ; a Cicerone *coniugata* (*Topic. c. 3*) ;

v. g. *iustitia* ab *iustus* ; *fortitudo* a *fortis* ; *sapienter, sapientia* a *sapiens* ; *eques* ab *equus* ; *lectica* a *lectus* ; *habitus* ab *habitus*, etc.

- 4) aut *verbalia* seu quae a verbis descendunt ;

v. g. *accola* ab *accolo* ; *assecla* ab *assequor* ; *tradux* a *trado* ; *torpedo* a *torpeo* ; *lectio* a *lego* ; *oratio* ab *oro* ; *fulgur* a *fulgeo*, etc.

- 5) aut *comparativa*, quae rem vel attollunt vel deprimunt ; fiunt autem ex casu littera *i* finito, addita syllaba *or* ; v. g. *fortis, fortior* ; *iustus, iustior* ; *amans, amantior* ;

- 6) aut *superlativa*, quae rem vel in summo loco vel in infimo collocant ; et fiunt generatim ex casu littera *i* finito, addita littera *s* et terminatio *simus* ;

v. g. *iustus, iustissimus* ; *fortis, fortissimus*, etc.

- 7) aut denique *diminutiva*, quae diminutionem primitivi sui demonstrant, et desinunt in formas varias pro varietate suffixorum. Semper autem eiusdem generis sunt ac primitiva: « diminutio genus detegit » (QT. I, 6) ¹
- v. g. homo : *homuncio, homunculus, homullus*
 puer : *puerulus, puellus, puellulus*
 filius, a : *filiolus, filiola*
 anima : *animula*
 domus : *domuncula, domicula*
 anus, us : *anacula* ;
 virgo : *virguncula*
 pagina : *pagella*
 pugnus : *pugillus*
 calatus : *calatiscus*
 culter : *cultellus*
 artus, versus : *articulus, versiculus*
 labes : *labecula*
 vox : *vocula*
 flagrum, scalprum : *flagellum, scalpellum*
 os : *osculum* ; vas : *vasculum*
 genu, cornu : *geniculum, corniculum*
 negotium : *negotiolum*.

47. Modi derivandi verba seu verborum derivatorum genera.

Possunt verba derivata dividi in :

- a) *intensiva* (verbum nativum + suffixum *ta* vel *sa*
 v. g. *canto, cesso* (ced-o), *nexo* (necto), *grassor* (gra-

¹ Haec praeterea velim animadvertas :

1) Terminatio *-aster* dicit :

a) vel diminutionis inchoationem : v. g. *surdaster, recalvaster* ;
 b) vel contemptionem ; v. g. *poëtaster, philosophaster* (melius :
vilis, malus, ineptus poëta, etc.) ;
 c) vel imitationem ; v. g. *Antoniaster, Fulviaster* (= *Antonium* vel *Fulvium* imitans ; cf. Cic. 12 Att. 44, 4).

2) Latini non noverunt quae nos dicimus nomina auctiva, contemptiva, peiorativa, etc. :

v. g. *casone* = magna domus ; *libraccio* = malus liber ; *vocina*
 = exigua vox ; *poetuzzo* = vilis poëta.

dior), *gusto* (ab inus. gus-o γεύ-ω), *poto* (rad. po-), *ructo* (rug-o), etc.

b) *frequentativa* (thema + suffixum *i-ta* vel *ta*)

v. g. *cantito*, *cursito*, *agito*, *fundito*, *clamito*, *dormito*, *flagito* (deest nat. *flag-o*), *haesito* (haesus, haereo), *victito* (victum, vivo), *esito* (esus, ed-o), etc.

c) *diminutiva* - *iterativa* (thema verbale vel participium perf. + suff. *illa*, *ula*, *cula*, *ica*)

v. g. *cantillo*, *sorbillo*, *conscribillo*, *murmurillo*; *ustulo*, *postulo* (a poscitus); *fissiculo*; *albico*, *mordico*, *splendico*, *cantico*, *claudico*, *nigrico*, *vellico*, *fodico*, etc.

d) *causativa* (thema + suff. vocalicum *a*, *e*, *i*, *o* + suff. *yo*);

v. g. *moneo* (facio ut aliquis recordetur ... : radix *men* cogitare, unde *moneyo*); *noceo* (detrimentum afero : rad. *nec*, mors); fortasse etiam *spondeo*, *mordeo*, *tondeo*, etc.

e) *inchoativa* (thema praesentis in *a*, *ē*, *ī*, *ī* (ē) + suff. *sco*)

v. g. *irascor*, *inveterasco*, *suesco*, *senesco*, *obdormisco*, *obliviscor*, *gemisco*, *fruniscor*, *fatiscor*, *lucesco*, *ardesco*, *floresco*, *herbesco*, *spumesco*, *arboresco*, *roresco*, *vilescere*, *febrescere*, etc.

f) *meditativa* seu *conativa* (thema + suff. *so*, *esso*, *isso*)

v. g. *incesso* (inced-so : ire obviam), *viso* (vid-so : ire visum aliquem), *capesso*, *laccio*, *facesso*, etc.

g) *imitativa* : ex graecis verbis in -ιξω

v. g. *patrizo* et saepius *patrisso*, *as*; *matrisso*, *comisso(r)*, *atticisso*, etc.

h) *desiderativa* (thema + suff. *turio*, *surio*)

v. g. *esurio* (ed-o), *empturio*, *canturio*, *dicturio*, *mori-turio*, *coenaturio*, *scripturio*, *nupturio*, *gesturio*, *petiturio*, etc.

« Ita Sullaturit animus eius (Pompeii) et proscripturitur diu » (Cic. 9 Att. 10 a med.).

48. Quid dicendum de vocabulis derivandis.

Egimus hucusque de nominibus et verbis derivatis, et varios usuque receptos modos ea derivandi tradidimus, nihil dicentes de particularum derivatione, in quibus vix datur novandi necessitas.

Vocabulorum autem derivatio (sicuti etiam compositio) in unaquaque lingua veluti fodina uberrima est et ratio communissima ac magis consentanea novandorum vocabulorum, cum per illam intra linguae ipsius fines et secundum eius indolem fiat novatio ac ditetur lexicon: non secus atque vitis, quae, etiamsi ulmo nitatur, palmites tamen racemosque non ex illa mutuatur, at ex se ipsa inexhausta producit.

Generatim dicendum tamen est in derivandis vocibus maxima prudentia et acri iudicio esse utendum ut verba recte et ex propriis elementis deriventur; et tantum ex necessitate vel magna utilitate (v. g. ut brevitati et perspicuitati consulatur, vel ut impeditae circumlocutiones, mutationes ex aliis linguis, incertae analogiae vitentur, etc.).

Quare tantum qui latinam linguam eiusque originationes calleat, poterit hoc sibi sumere opus et apte praestare.

Facilius et purius derivantur patronymica, diminutiva, verbalia.

Quae sunt antiquitus et recte derivata, etsi interdum minus utilia et classica (ut *protectio*, *protector*, *rigor* [pro severitate], *sculptor*, *reverendus*, *spatiosus*, *subditus*, etc.) adhiberi parce possunt et minus certe linguae integritatem corrumpunt, quam quae male derivata sunt, aut barbara sunt, hybrida, etc.

« Usitatis tutius utimur: nova non sine quodam periculo fingimus ... Audendum tamen: namque ut Cicero ait (1 *Nat. Deor.* 34) etiam quae primo dura visa sunt (ut verba *beatitas*, *beatitudo*), usu molliuntur » (Qt. I, 5 sub finem).

Non igitur improbaverim qui modeste audendo, lucubrationes suas modeste pariter appellaverit non *vigilias*, sed *vigiliolas*¹ ex analogia cum ciceronianis *gloriola*, *victo-*

¹ Cfr. CAROLI ROTH S. J. *Carmina et Orationes*, Patavii, Comin. 1741, p. 3.

riola, memoriola ; qui *naeniola* canat ¹, qui cum Pontano dicat : *frustillum*, *superstitiosiolus*, *brassicula*, *asserenascit*, *campana*, etc. ; cum Politiano *breviusculus*, *funditator*, *exemplarius* ; cum Longolio *inelegantia* (*Ep.* I, 28), cum Sadoletto *influxus* (*Ep.* XIII, 2), cum Manutio *contrarietas*, *ingratitude* ², cum Beroaldo *secretarius*, cum aliis *philosophicus*, *illicitum*, etc.

Cui non placuerit descriptio furentis Euphorbiae in « Antonio » Ioviani Pontani : « Clamat, inclamat, frendit, *dentitonat*, *hinnifremit*, rixatur, furit ; veru, pelves, patinas iaculatur, *titionatur*, *candelabratur* : novis enim vocibus novus beluae huius furor exprimendus est ».

Pariter apte uno verbo *novaturientes* illi vocati sunt qui semper in omnibus vel disciplinis vel publicis negotiis nova meditantur ; *latinitatula* (ex Cic. *aetatula*) vocabitur latinitas illa rudis, incompta, barbara qua vel pueri pensa quotidiana, vel scholastici quidam suas lucubrationes conscribillant. Cur non naves *cisternatas* (ex analogia cum « rostratis ») et *petrolearias* (ex analogia cum « frumentariis ») vocare iure possum quae vulgo ! « navi-cisterna », « petroliere » dicuntur ?

III. *Modus novandi verba latina compositione analogica.*

49. *Compositorum natura et usus apud Latinos.*

Compositio habetur cum duae vel plures voces primitivae ad unum vocabulum formandum ita uniuntur, ut nova notio habeatur, composita et distincta a notione singularum partium.

Nostrum non est hic tradere vocabulorum compositorum divisiones, modos compositionis, mutationes vocum primitivarum etc., quod munus grammaticorum est.

Ratio autem componendi verba extranea est genio linguae latinae et quasi ut exceptio habebatur a Latinis scriptoribus. « Res tota magis Graecos decet, nobis minus succedit » (*Qt.* I, 5, 70 ; cfr. VIII, 3, 30). Itaque Horatius

¹ Io. PONTANI *De Amore coniug.*, lib. II, Naenia XII.

² WALCHIUS, *Historia critica lingua lat.* XII, 3.

et alii composita graeca non raro per simplicia latine reddunt. Composita autem latina plerumque adventicia videntur esse et ex singulari necessitate per accessionem formata, non vero orta ex ipsa latinae linguae natura.

Haec verba cum varias notiones et imagines exprimant, sintque infrequentia, ampla, splendida, simplicibus significantiora utpote quae sint veluti contracta definitio, vulgi et poëtarum sermonem ingressa sunt. Quam aptissima enim evadunt ad carmina (praesertim heroica) pangenda et ad explicandam poëticam virtutem. Pariter comici latini usi sunt saepe his « nominibus contortiplicatis » (PLAUT. *Pers.* 708); vulgi enim utuntur et libertate et sermone. Optime etiam eos imitatus est in sui « Dialogis » Iovianus Pontanus.

Quintilianus (I, 5, 70) ut cautionem adhibendam in his compositis ponit imitationem Graecorum: « nec id fieri natura puto, sed alienis (= Graecis) favemus ». Nihilominus Cicero composita admittit raro in soluta oratione, ad eam « illustrandam atque exornandam » (3 *De Or.* 38, 152-154), et ipse tantum pauca composita a verbo *loquor* adhibet.

50. Compositionis cautiones et usus nostro tempore.

Ex dictis patet nos etiam parcos esse debere in novis verbis componendis, ac fere nonnisi poëtice, vel in stilo faceti vulgi et theatri, et, in soluta et gravi oratione, ex graecis praesertim verbis. Erunt praeterea bene noscendae et servandae leges compositionis.

Alterum membrum compositionis adiectivorum quod frequentius occurrit, est: *dicus, ficus, sequus, liquus, loquus, fragus, vagus, legus, fidus, cubus, comus, sonus, genus, parus, vorus, colus, ger, fer*.

Ex verbis autem frequentiora sunt composita ex *dicere, facere, fieri, ficare, igare*.

In verbis compositis ex praepositionibus (*a, ab, ad, amb, de, ex, prae, pro, cum, sub, super, per, etc.*) attendendum est quomodo hae in compositione immutentur et verbi simplicis mutent significationem pro sua cuiusque natura et vi. Quare non sunt illae inconsulte praeponendae vocibus ex quodam veluti studio adhibendi vocabula sonantiora.

Generatim nova componantur vocabula ex analogia

cum aliis iam antiquitus compositis. Sic v. g. ex lucretiano *lauricomus* Virgilius finxit *auricomus* et saeculo (V^o M. Victor *silvicomus*, saec. XVI M. A. Flaminii *floricomus*; ex virgilianis *armipotens* et *ignipotens*, Naugerius (saec. XVI) finxit *silvipotens*; Iov. Pontanus composuit *spumivomus* ex analogia cum *ignivomus* Corippi, et *fluentisonus* ex Lucretiano et Catulliano *raucisonus*; etc.

Non ego pariter improbaverim recentiorum aptissima verba: *operistitium* (sciopero, grève; cfr. lat. « solstitium »), *hastiludium* (torneo, tournoi); vel etiam *harpastiludium* (foot-ball).

IV. *Modus novandi verba latina per mutationem ex alia lingua.*

A) *Per mutationem propriam.*

51. *Mutationis natura et fontes.*

Non est hic sermo de mutatione « a simili » ut fieri vidimus in exprimendis rebus per analogiam significationis; sed de verbis ex aliis linguis sumendis ac in latinam recipiendis cum necessitas cogat.

Veteres scriptores latini romana civitate donarunt verba, quae

- 1) vel quibusdam regionibus erant magis familiaria (cfr. Qt. II, 13); v. g. a Sabinis: *cascus*, *tesqua*, *catus*; a Praenestinis: *atabulus*; etc.
- 2) vel barbarorum sermonum propria, primum in lingua latina ut *idiotismi* alicuius regionis manserunt, ac dein paulatim civitate donata sunt: « cum in Galliam veneris, audies ... verba quaedam non trita Romae » (Cic. Brut. n. 171). Itaque cum diis et spoliis domitarum gentium, Romani secum ferebant vocabula quaedam propria, quibus illae militaria instrumenta, munera, vestes, mores praesertim significabant. Sic punica sunt verba *mappa*, *mapalia*; hibericum, *gurdus*; persica, *gaza*, *magus*, *acinaces*; celtica, *ambactus*, *essedum*, *pe-torritum*, *soldurii*, etc.

- 3) vel potissimum ex graeco fonte deducta sunt. Generatim cum veteres scriptores latini¹ de verbis novatis loquuntur, intelligunt praecipue verba ex graeca lingua mutuata, ita ut illis idem sit novata et peregrina seu barbara (graeca) reicere et excludere. Quare nos etiam, verba illa graeca quae inutiliter sunt novata latine, inter *barbarismos* inferius recensebimus.

52. Romanorum scriptorum mens et consuetudo in graecis verbis mutuandis.

Post domitam a Romanis Graeciam, confluentes Romam graeci philosophi ac servi, in Urbem multa verba philosophiae et artium propria sermonemque plebeium intulerunt, quorum plura dantur exempla cum in doctorum operibus, tum etiam in comoediis Plauti et Terentii; v. g. *euge*, *eu*, *euhan*, *euho*, *eugepae*, *euscheme*, *badissas*, *basilice*, *basilicus*, *cyatissare*, *moechissat*, *papae*, *purpurissatus*, etc.

Cicero autem, latinitatis excoltae perfectior et graecae linguae peritissimus, graeca verba in cultioribus scriptis refugit, verbaque *philosophia*, *mathematicus*, *grammaticus*, alia, ut adhuc peregrina habet (1 *De Orat.* 9. 10), et tantum usu auctore recipienda putat: « Quamquam ea verba, quibus instituto veterum utimur pro latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus » (3 *De Fin.* 2, 5)².

Aperte etiam suam de hac re profert sententiam: « eo sermone debemus uti, qui innatus est nobis, ne, ut quidam, graeca verba inculcantes, iure optimo rideamur » (1 *De Off.* c. 31); « bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore graecorum » (*Or.* 49, 164). Ciceroniani vero diligentissimi hoc in suo vexillo scriptum habent: « Dicam, si

¹ LUCR. I, 136 sq.; HOR. *A. P.* 52; QT. VIII, c. 3, 30-33, etc.

² Ex quo patet antiquitus quoque factum esse id quod nostra etiam aetate ubique fit, ut nempe verba peregrina antequam ex necessitate vel utilitate recipiantur ac donentur civitate, usurpentur tanquam usitata. «Utar ergo illo verbo non tanquam recepto, sed tanquam usitato» (SENEC. *Ep.* 120).

potero, latine ; scis enim me graece loqui in latino sermone non plus solere, quam in graeco latine » (I *Tusc.* c. 8).

Aetate Augustea oratores diligenter cavent graeca vocabula praesertim in cultioribus scriptis ; poëtis vero sermo fit « lingua concinnus utraque suavior » (HOR. I, *Sat.* 10, 20 ss.), vocibusque graecis quasi poëtico ornamento utuntur. Vocabulorum enim circiter decem centesimae partes graecae sunt in Catullo, Tibullo et Ovidio ; duodecim in Propertio, quatuordecim in Bucolicis Virgilii, quindecim in Iuvenali, viginti in Persio.

Argentea vero aetate Plinius graeca verba ut stili ornamenta habet ; plura habet Suetonius, pauca Tacitus ; rhetores autem cum Quintiliano (I, 5, 58) asserunt : « confessis quoque graecis utimur verbis, ubi nostra desunt, sicuti illi a nobis nonnumquam mutantur ».

Seriore denique aetate lexicon graecum omnibus scriptoribus fodina est ac fons ex quo sine discrimine verba hauriunt, non solum ad notiones Graecis proprias significandas, sed etiam hac una ratione, ut novo verbo id exprimant, quod iam latina voce significatur atque ita novum stili subsidium addant. Immo rhetor Chirius Fortunatianus graecum vocabulum latino praeferibat hac sola causa, quia « magis sonans » illi videbatur¹.

De *graecismis* apud christianos scriptores, iam supra vidimus. Largius sunt illi recipiendi, cum fere ex necessitate sint mutuati et sacrati consuetudine.

Post renatas litteras optimi latini scriptores ad pristinam puritatem sermonis redierunt ac parcissime tantum et necessitate coacti graeca vocabula mutuarunt.

53. Praestantia huius fontis pro lingua latina.

Etsi verum est latina verba ex graecis mutuata ad plura millia numerari (quorum maxima pars ad artes pertinet ac doctrinas, ad palaestram, sacerdotia, christianos ritus, vitae comissiones, etc.), veritatem tamen excedunt Quintiliani verba (I, 5, 38) : « maxima ex parte romanus sermo inde [= ex graeco fonte] conversus est ».

¹ Cfr. HALM, *Rhet. lat.*, p. 124, 7.

Si quis velit maximam persequi partem verborum graecorum, quae a Latinis plus minus civitate donata sunt, videat in lexico quae incipiunt per *acro, ana, apo, ch, chrys, cy, dia, ep, eph, epi, eu, h* (praesertim *hy*), *leuc, meso, mono, my, myct, orth, oxy, para, phil, pseudo, sym, syn, th, x, z*.

Certum est etiam nostris temporibus linguam graecam, sicuti exstat fons magnus vocabulorum in doctrinis et artibus pro omnibus linguis recentibus, latinae linguae vivae fontem esse primarium. Cum enim in vernaculas quoque apte ingrediatur ad nova inventa exprimenda, perspicue et facile latinam pariter ditabit. Videbimus infra (n. 55) qua ratione in latina lingua accomodari debeant.

54. Quid dicendum et praecavendum quoad usum verborum graecorum.

1. Si ferat necessitas, utilitas, perspicuitas, cum Cicerone ipso (contra sollicitiores Ciceronianos) « puto concedi nobis oportere, ut graeco verbo utamur, si quando minus occurret latinum » (3 *De Fin.* 4, 15).

2. Attamen, cum eodem Cicerone ceterisque optimis scriptoribus latinis cuiusque aetatis, in graecis vocabulis adhibendis parci admodum simus, damnantes eos, qui in iisdem inculcandis toti sunt. Namque si lingua latina non est, ut Tullius affirmabat (1 *Nat. Deor.* 4, 8; 3 *De Fin.* 2, 5), verborum copia superior graeca, est tamen satis locuplex et copiosa (si totum eius thesaurum habeas perspectum) ad quaeque explicanda expoliendaque. Quare nihil tam praeposterum fieri potest, quam externa consectari, cum propriis abundes. Iniuria fit vernaculae linguae tamquam inopi, cum ad externas confugitur.

3. Viris ergo in latina lingua peritis et in graeca committenda est haec licentia, ne graeca vox vel inutiliter mutetur vel inepte.

4. Cum res, recens in artibus et doctrinis inventae et latino vocabulo carentes, iam in recentioribus linguis graeca voce exprimantur, liberius et nos uno verbo graeco eas significabimus, praesertim in tractationibus didacticis ubi

saepius illa vox recurrat, et molestum et obscurum sit eam circumscribere. Patet, in huiusmodi scriptis liberiores usum concedi verborum graecorum (quae fere *technica* sunt), quam in elegantioribus scriptis, poëticiis praesertim, in quibus eadem verba circuitibus et aliis modis possunt ac debent reddi latine

v. g. *catechismus* vel *catechesis* = christianae doctrinae praecepta ; *archaeologia* = antiquitatis scientia ; *geographia* = terrarum descriptio ; *aëroplanum* = velivolum, velivola navis, aëria navis, volatilis navicula, etc.

5. Non est cur apud doctos improbemus graeca (litteris etiam graecis expressa), si latinis fuerint significantiora vel elegantiora

v. g. συμπάθεια = naturae quasi concentus et consensus ; vel voluntas, studium ...

φιλαυτία = amor sui ipsius (egoismo)

ἄπειροκαλία = ignorantia decoris, ineptia

εὐτραπεία = urbanitas, comitas.

Sic etiam graece exprimuntur quaedam minus honesta, ut fere soli viri docti et maturi iudicii intelligant ; v. g. διάρρητοια, αἰδοῖα etc.

6. Cavendae sunt voces quae *hybridae* dicuntur, ex diversis linguis conflatae, latinis auribus intolerabiles.

v. g. nimis leviter a quibusdam latine vertuntur locutiones : *telefonare* = *teleloqui* ; pro : per telephonium loqui, colloqui

telegrafare = *telescribere* ; pro : per telegraphium scribere vel nuntiare aliquid alicui

fotografare, etc. = *photopingere*, *photopictura*, etc. ; pro : imago photographica vel luce expressa, imagines luce pingere, etc.

idroplano vel *idrovolante* = *hydrovolans* ; pro : hydroplanum

bigamo = bigamus (verbum tamen usu receptum in iure et theologia), pro : bimaritus, a ; biconiux ; geminus, a coniux ; binis uxoribus (viris) iunctus

monoculus = unoculus, luscus, altero oculo captus.

Quaedam tamen voces huiusmodi iam antiquitus usu

receptae sunt, ut Plautus habet *biclinium*, *epitogium*, etc.; vel ex necessitate, ut « exemplo esse potest *Archiducis* titulus, Austriacae gentis proprius. Hybrida hoc est vocabulum, sed quocumque modo illud reddideris, vix effugies reprehensionem. Si « magnos duces » vocaveris, pares illos reddes magno Duci Hetruriae; sin « supremos duces », a nexu cum Romano imperio eos absolves; si « primos duces », hoc quoque insolens erit. Recte igitur atque ordine feceris, si *Archiducis* titulum, parum latinum licet, retinueris. Nescio an idem dicendum de titulo *Archimarschallus*. Nullum enim est vocabulum latinum, quod "Marschalli" notionem satis exprimat. Stultum esset, ut placeas grammaticis, principibus displicere velle, et hos laedere, ne Prisciani maiestatem laesisse videaris »¹.

7. Si verbum graecum noviter mutuatum nec iam usu receptum adhibeatur, excusatione seu remedio aliquo muniatur, ut in hisce rebus fieri solet; v. g. « ut graeco verbo utar; ut Graeci dicunt; quod Graeci vocant; ut ita dicam », etc.

55. Qua ratione vocabula graeca fieri et accomodari debeant latine.

« Inde illa quaestio exoritur, an eadem ratione per casus duci externa, qua nostra, conveniat.

- a) Si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quicquam ex latina ratione mutandum ... Quin etiam laudet virtutem eorum, qui potentiores facere linguam latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur.
- b) Nunc recentiores instituerunt graecis nominibus graecas declinationes potius dare: quod tamen ipsum non semper fieri potest.
- c) Mihi autem placet latinam rationem sequi quousque patitur decor. Neque enim iam Calypsonem dixerim,

¹ HEINECCIUS, *Fundam. stili cultioris*, P. I, c. II, 5.

ut Iunonem : quamquam secutus antiquos Caesar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo superavit. In ceteris quae potuerunt utroque modo non indecenter efferri, qui graecam figuram sequi malit, non latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur » (Q^T. I, 5).

d) Generatim ergo quae graeca vocabula latina fiunt, ad latinorum rationem ac normam accomodari debent, quoad orthographiam et casuum flexiones. Usus tamen saepe erit sequendus, ita ut in quibusdam casibus terminatio et graeca et latina retineri possit, ut in grammaticis habetur.

v. g. *poësis*, gen. *poësis* (melius quam *poëseos*)

musica, ae (potius quam *musice*, es)

exhomologesis, *synhodus*, *exhodus*, etc. latine scribam. Est enim hoc Latinis sollemne atque perpetuum, ut in compositis vocabulis, simplicium, unde illa componuntur, adspiratio, si qua in iis fuerit, retineatur, ut *haurio*, *exhaurio*; *hortor*, *exhortor*, etc.; etsi Graecis non eadem fuit consuetudo. Graeca graecorum, latina latinorum more scribantur¹;

historiographus, *philosophus*, etc.; at melius instrumenta per neutrum genus efferuntur: *telegraphium*, *phonographium* (*graphium* invenitur iam in Seneca et Ovidio), *telephonium*, vel *telephorum*, etc.; non autem *telegraphos* vel *telegraphus*, etc.

B) *Per mutationem impropriam ex alia lingua*

56. Natura huius mutationis.

Haec mutuatio tunc habetur, cum verbum aliquod non latinum adhibemus quidem in latino sermone ex aliqua ne-

¹ Videas in vol. 1^o Epistol. Pogiani pag. 265 sqq. doctam elegantemque Lagomarsini explicationem.

cessitate vel utilitate, sed in illum non recipimus nec civitate donamus, at fere commodo accipimus.

Hoc autem in omnibus linguis fieri videmus, quae primum verbis barbaris utuntur ex necessitate, et, ne suspicio sit ea esse recepta, variis remediis distinguunt (v. g. litteris, quas vocant, italicis scribuntur, vel intercluduntur virgulis vel consuetis locutionibus excusantur); dein, vel verba propria et patria inveniuntur, quae in illorum locum sufficiantur, vel cum re significata cadunt ex usu, vel etiam nova et meliori forma accomodantur ac tandem recipiuntur.

Consulitur hoc modo patrii sermonis integritati, arcetur eiusdem corruptio ac barbaries quae undique ei parant insidias.

57. Quando et quomodo adhiberi possit.

Cum nulla alia via apte verti aut declarari latine possunt nova vocabula ad geographiam, historiam, philosophiam, litteras, artes ac scientias quae dicuntur, ad munera et dignitates, ad alia huiusmodi pertinentia, quae tamen, utpote verba propria alicuius auctoris vel aetatis vel loci vulgoque adhibita, valde deceat referre, ut historiae perspicuitas fidesque accurata habeatur, et cerni possit quid nostrae latinae interpretationi proprie respondeat in recentiorum sermone, et quasi color ac indoles linguarum et aetatum exprimatur, haec fere possumus sequi praecepta:

- a) licebit uti vocabulo nostrae linguae recentis; his tamen remediis:
- b) semper referatur in casu, cum terminatione et orthographia latina quantum fieri potest, ut pronuntiandi ratio quam exactissime referatur;
- c) scribatur litteris tenuioribus et inclinatis seu italicis (*cursivo* modo dicimus), vel virgulis aut lineis interclusum ad modum prolationis, vel simpliciter et communi modo scribatur et per parentheses excusetur vel explicetur;
- d) ante vel post ipsum vocabulum, ad modum parentheses vel non, tradatur quam propior interpretatio latina

per verborum circuitiōnem vel longiorem descriptiōnem et declarationem, ut quam plenius rem mente assequi et intellegere possimus.

- e) Remedium adhibeatur his vel similibus verbis : « ut verbo italico, gallico, etc. utar ; ut Itali, Galli dicunt ; vulgo ... » ; etc., ut ex quae infra afferemus exemplis patebit.
- f) Si vero vocabulum illud saepius in oratione occurrat, cum semel vel bis fuerit declaratum et excusatum, dein ponatur simpliciter vel illud ipsum vel eius latina interpretatio.

58. Exempla ex auctoribus antiquis.

Cicero saepe in libris philosophicis vocabula technica philosophiae Graecorum refert cum latina interpretatione.

Non omnis *enuntiatio*, quod ἀξιωμα dialectici vocant (*Fat.* I, 10)

Continuatio (vel *convenientia*) *coniunctioque naturae*, quam vocant συμπάθειαν (*De Div.* II, 60)

in illis *selectis* Epicuri *brevibusque sententiis*, quas κυρίας δόξας appellatis (*Na. Deor.* I, 30)

obtrectatio autem est ea, quam intelligi ξηλοτυπίαν volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit (*Tusc.* IV, 8)

quae Graeci πάθη appellant, ego poteram *morbos*, et id verbum esset e verbo ; sed in consuetudinem nostram non caderet ... nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, *perturbationes* dixerimus ; *morbos* autem non satis usitate (*Tusc.* III, 4).

Caesar pauca verba mutuavit a Celtis et semper illa latine interpretatur vel fusius declarat, et excusat. V. g. : *Liscus*, qui *summo magistratui praeerat*, quem *vergobretum* appellant Haedui, qui creatur annuus et vitae necisque in suos habet potestatem (*B. G.* VI, 15, 5)

cum DC *devotis*, quos illi (Celtae) *soldurios* appellant, quorum haec est condicio, ut omnibus in vita commodis una cum iis fruantur, quorum se amicitiae dediderint, si

quid his per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consiscant (*B. G.* III, 22).

plurimos circum se *ambactos* clientesque habet (*B. G.* VI, 15): *ambactus* est servus mercede conductus, fere idem ac *cliens*; Caesar non vertit vocabulum, sed tantum coniungit cum alio simili verbo quasi pleonastice, cum iam innotuerit per Ennium.

59. Eadem consuetudo apud recentiores scriptores latinos.

Florentinus quidam machinator egregius ... machinam solertissimo artificio fabricaverat, quam *girandulam* vulgus appellat, quae nostra lingua orbis flammeus dici potest; utar enim hoc vocabulo, quoad invenero melius (PHIL. BEROALDUS SEN., *De Nuptiis Bentivol.*)

Batachini (sic enim appellantur hi populi) (MAFF., *Epist. ex India*)

Alcoranum (ita enim incolae Mahometis fanum appellant) (MAFF., *De rebus Ind.*)

Comitia Regni, quae Siculi *Parlamentum* vocant (CORDARA, *Hist. Soc. Iesu*)

Suprema curia (*Parlamentum* Galli vocant) (ID.)

coloniae, seu ut vulgo loquebantur, *reductiones* (ID.)

Hussitae, *Calixtini* vulgo appellati a mystico calice (ID. *ibid.*)

latifundium (*commendam* vulgo appellant) (ID.)

Regnum *Siamense* (regio ea est perampla Asiae in peninsula Indica) (ID.)

Arsinarium (*Caput Viride* recentiores hoc promontorium nominant) (ID.)

In Nivariam traiecerunt (*Tenariffam* nunc vulgo nominant) (ID.)

Maria, quam *Hortensem* appellant (CASTR. BONAMICI; = *La Madonna degli Orti* ad Velitras)

Mulieres, quae in peculiari carceris parte (*domum poenitentiae* [penitenziario] vocant – vel hic Romae: ad *Mantellatas* –) inclusae detinentur (CORDARA, *ibid.*)

Diu profecto res seu « capitale » praeripere sibi nimium potuit. Quaecumque procreata erant, quicumque redibant fructus, capitale sibi vindicabat (PIUS XI, *Quadragesimo anno*, 55)

Ast « capitalisticum » oeconomiae regimen, cum industriae usus toto orbe terrarum dilatatus sit, plurimum et ipsum ... quaquaversus est dilapsus (*Ibid.* n. 103)

Altera ... socialismi pars eandem fere subiit mutationem, quam oeconomiam capitalisticam subiisse supra explicuimus, et in « communismum » ruit, qui bina docet ac persequitur ... : acerrimam inter classes luctationem, plenamque domini privati extinctionem (*Ibid.* n. 112)

Atque exempla huiusmodi sexcenta, quae passim in recentiorum scriptis latinis ac praesertim in Actis Pontificum, de rebus omnibus agentibus, occurrunt.

60. Quaedam animadvertenda.

a) Quae hucusque diximus valent de nominibus recentibus, quae exprimunt aliquid proprium alicuius populi et linguae, quaeque in aliis fere usurpantur et efferuntur ut sunt in sua forma nativa; si vero idem datur, vario ac diverso nomine, in omnibus linguis, tunc debet et latine habere suum. Generatim autem, nisi vocabulum nativum peculiarem vim aut momentum habeat, res latinis verbis simpliciter exprimatur.

b) Si vero vocabulum datur in omnibus linguis eadem fere forma et plerumque ex graeca vel latina radice, potest idem latina forma efferri. Frequentissima est in philosophiae, theologiae, artium doctrinis graeca terminatio - *ισμός*, - *ιστής*, quae cum sit omnibus fere linguis communis totamque rem apte uno verbo comprehendat, potest latine etiam usurpari et saepe in Ecclesiae documentis invenitur.

V. g. *americanismus*, *bolscevismus*, *communismus*, *socialismus*, *materialismus*, *naturalismus*, *liberalismus*, *positivismus*, *Massones*, etc.

Cum haec et similia nomina sint etiam quoad significationem omnibus nota, possunt interdum simpliciter poni sine illis remediis quae supra (n. 57) indicavimus, at plerumque melius erit ea declarare.

Multa tamen huiusmodi nomina aptius latine circumscribuntur, ut vidimus nn. 35-36.

c) Non videtur probanda, imo improbanda, eorum simplicitas, qui satis latinae linguae integritati cautum

esse putant, si dicant : « *emi sigarum, ut italico verbo utar* » ; « *iter feci treno expresso, ut Itali dicunt* »¹. Hac enim ratione Itali saepe non intelligerent quae Galli latine proferrent, neque Galli aut Angli quae scriberent Itali, et actum esset de integritate et intellegentia linguae latinae.

d) Improbandi pariter sunt, qui verbum quodcumque novum, cui latine aliud non respondeat, latinum illico faciunt mutata tantum terminatione nullaue excusatione allata. Hybridica haec permixtio, inscitiae ignaviaeque fructus, latinitati minime favet.

61. De magistratuum nominibus latine efferendis.

Cum circa dignitates ac munera tot dentur nostro tempore nova nomina, et ea ipsa quae antiqua quidem sunt, per saecula mutaverint saepe plus minus significationem (v. g. praetor, praefectus, provincia, etc.), quaedam opportune dicta afferam ex opere «De Stilo Inscriptionum Latinarum» Stephani Morcelli, ne puram latinitatem unice persequentes, ab historiae fide et veritate deficiamus.

« Quid vero consilii capiendum putemus, quotiescumque aptam Latini formulam non suppeditant? Nam quosdam invenies adeo latinitatis studiosos atque amantes, ut animum inducere nullo modo possint, iis uti vocabulis, quae Latini non usurpaverint: qui si hoc statuunt, nihil cuiquam audendum nunc esse contra consuetudinem Latinorum, his me profiteor suffragari maxime.

Sed si verba barbarie hac nostra infuscata sic respuunt omnia, ut ne ex eo quidem genere ullum accipiant, cuius generis non pauca Latini scriptis suis celebrarunt; tum vero non possum, quin iis adverser atque repugnem. Nam Romani quidem scriptores, cum gentium barbararum magistratus nominare oporteret, nomina eorum latino more terminata quam parum horruerunt? Nonne *Sufetem*, qui summus erat Poenis magistratus et in latinis inscriptionibus et apud

¹ Ant. GIGLI, *Repertorio di sintassi lat.*, sub voce : *neologismi*. Hoc modo passim scribunt quidam in actis periodicis, in quibus nescio utrum magis latinae linguae ignorationem mireris, an effrenam licentiam in ea arbitrio suo corrumpenda.

Livium saepe legimus ? Nonne apud eundem occurrit Campanorum ... *Medixtuticus*, ab Ennio *Summus Medix* dictus ? Quid Haeduorum *Vergobretus* (CAES. B. G. I, 11), quid Persarum *Satrapes*, quid Graecorum *Archon* et *Prytanis* ? Nonne et externa omnia, et a Latinis tamen usurpata nihilominus ?

Itaque istorum puto nimis delicatum esse fastidium, eosdemque cum minime opus est, difficiles ac morosos. Eum vero satis commode fecisse iudicabo, qui Romanos scriptores imitatus, quidquid offenderit huius generis, non ancipiti aliquo vocabulo, sed nomine suo, qualecumque id tandem futurum sit, ad latinam normam deflexo haud multum haesitans appellaverit.

Bembum certe numquam imitandum proponam, qui quos *Duces* nunc appellamus, et *Tetrarchas* haud inscite quis nominarit, *Regem Urbini*, *Regem Mantuae*, *Regem Camertium* dicit. Neque auctor ero, ut *Toparchas* a Graecia arcessas, qui pro *Marchionibus* sint »¹.

62. Recentiorum in hac re consuetudo.

Apte recentes optimi scriptores latini nova magistratuum nomina ac dignitatum latine exprimunt et vulgari etiam vocabulo ulterius definiunt. Non ab re erit exempla quaedam afferre :

Infantes : sic enim appellant Hispani filios regum post primogenitum, qui posteaquam adiuratus est successor atque regni heres, dicitur *Princeps* (ANT. NEBRISS., *Hist. Hisp.*, lib. II, c. 2)

Inter Castellae regni dignitates, sunt qui praefecti maiores appellantur, et hispano sermone *Commendadores maiores* ; ... *Comestabilis*, Regis cubicularius maior, magnus princeps qui regem comitatur et in bello praesertim gerendo. Novimus et *Almirantem* Castellae, qui maris hispani ius habet in navigantes et imperium : ideoque dux maris et dominus intelligitur. Praefectus Legionis, praefectus Murciae ... Verum quos praefectos nos appellamus, *Adelantados* Hispani vocant. Sunt praeterea ...

¹ *De stilo inscr. lat.*, lib. II, P. 1, c. 2, § 1.

magistratus et officiales sex, quos *Mariscales* vocant ...
 (LUCIUS MARINEUS SIC., *De Rep. Hisp.*, lib. IV, c. 2)
 profani Cocincinae sacerdotes (*Onsaïos* vocant) (CORDARA)
Popi (erant ii gentis sacrificuli) (ID.)
 Supremus imperii turcici administer (*Visirium* vocant),
 (ID.)
Caimacanus (id Visirii absentis vicario nomen) (ID.)
Naiketem (sic suum Madurenses regem vocant) (ID.)
 Orator Pontificius (*Collectorem* tunc vocabant Lusitani) (ID.).

63. Quibus remediis consulatur in hac re latinitati.

Tandem, ut finem faciamus, si quid periculosum finxisse videbimur, si quid licentius transtulisse, quod non tuto dici possit ; si quid minus latinum aut etiam barbarum attulisse, coacti inopia, necessitate, utilitate : quibusdam remediis praemuniendum erit : *ut ita dicam ; si licet dicere ; quodammodo ; qui, quae audit ; quem, quam vocant ; permittite mihi sic uti ; ut hoc verbo utar ; ut nunc loquimur vel loquuntur ; ut ita appellem*, etc. ; quibus remediis fit ut clari simus et latinitate puri, cum verba minus latina afferantur quidem, non vero in linguam latinam recipiantur (QT. VIII, 3).

APPENDIX

DE NOMINIBUS ET COGNOMINIBUS PERSONARUM DEQUE NOMINIBUS GEOGRAPHICIS LATINITATE DONANDIS

64. Quomodo nomina virorum et feminarum efferenda. ¹

Nomina quae nunc saepe barbara et Latinis ignota imponuntur, sic efferenda sunt, ut a latina consuetudine quamminimū recedamus. Haec autem Latinorum ratio fuit, ut externis nominibus, quae in litteram desinerent, quam ipsi extremam in suis aut alienis non usurpabant, syllaba fere una declinationis causa adderetur. Itaque *Abrahamus*, *Iacobus*, *Iosephus*, *Elisabetha* scribendum; sed recte *Samuel* et *Ioël* integra maneant, ut olim *Hannibal* et *Tanaquil*; recte etiam *Andreas*, *Simon*, quae graeco more, sed Latinis usitato scribuntur. Pariter *Hagne*, gen. -es, vel latino more, -ae; itemque *Irene*, *Fabiane*; non vero *Agnes*, *etis*, etc. contra omnes grammaticos et antiquam inscriptionum consuetudinem.

« Ne ii quidem tibi probentur velim, qui nominibus quibusdam, ut latine illa et puriter efferant, non modo extremam inflectunt aptantque syllabam, sed alias etiam deturbant: quo fit ut qui modo *Ruggerius* erat, repente *Rogerus* existat, et qui *Gulielmus*, nova etiam littera invecta, *Willelmus*. Sic alia atque alia pervertunt nomina. His vero cur latina ea magis et antiqua videantur, plane ignoro: equidem italicas nominum flexiones semper putavi ad latinas accedere quammaxime, neque iis praeferendas, quae ab exterorum linguis ortae sint ».

¹ MORCELLI, *De stilo inscr. lat.*, lib. II, P. III, c. 1, n. II.

65. De cognominibus latine efferendis sententiae.

a) Probari non potest in cultissimis recentioris latinitatis scriptoribus illud scribendi genus, quo nova hominum nomina et cognomina, maioribus ignota, latinis formis ita flectunt et emolliunt, ut demoliri potius videantur: certe perspicuitati, quam merito primam orationis dotem praedicant, plurimum adversantur.

Ita plures academici saeculo XV et XVI nomina et cognomina sua, temporis secuti consuetudinem, emolliverunt, ut *Aonius Palearius* ex *Antonio della Paglia*, *Iovianus Pontanus* ex *Ioannes P.*, *Iac. Lebetius* ex *Lavezzuoli*, *Ianus Anysius* ex *Ioannes Anicio*. Sic aliquando qui *Cenfuegus* erat, appellatus est *Centumigneus*, *Rossi* vero *Rubei*, *Verdii* quoque *Virides*, *Torviglionii* *Tauroleones* facti sunt.

Sic Hispanis iamdudum plane diversa sunt *Diego* et *Santiago*, cum in eorum monumentis *Didacos* et *Iacobos*, *Diegos* et *Santiagos*, ab annis plusquam mille passim inveniamus; pariter *Perez* et *Pereira*, *Fernando* et *Fernandez*, *Gonzalo* et *Gonzalez*, *Rodrigo* et *Rodriguez*, aliaque id genus plurima, quae a recentibus eisdem saepe vocibus latine scribuntur (*Pereira*, *Fernandus*, *Consalvus*, *Rodericus*): quo fit ut dum latini esse laborant, obscurissimi fiant; vix ut ab Hispanis ipsis, nedum ab exteris, intellegantur.

Probandi quoque non sunt quidam, qui ridicule priores cognominum litteras immutant et latinum se cognomen fecisse arbitrantur, cum *Blancum*, *Blanchinium*, *Florium*, *Platum* ... appellarunt, qui *Biancus* est, *Bianchinus*, *Fiorus*, *Piattus*; non enim illa magis latina sunt quam haec.

b) *Bartholomaeus Riccius* in epistola ad *Herculem Athesium*¹ [quem ab anno 1749 sequutus est etiam *Hieronymus Lagomarsinus*² ac deinceps, eius exemplo inducti, plurimi viri docti], argumentis conatus est affirmare omnia *cognomina* (latina « nomina » quibus familiae indicantur) *debere vocem suam in ius terminare*, ut *Sempronius*, *Fabius*, *Va-*

¹ In editione Patavina (Operum B. Riccii) anni 1748, vol. I, pag. 149 sqq.

² Cfr. eius Epistolam ad Card. Quirinum, in adnotationibus ad Epistolas J. Pogiani, vol. IV, pag. 378.

lerius, Sulpitius, Sannazarius, Longolius, Fracastorius, Nau-gerius, Alcyonius, Nizolius, Bocchius, Lagomarsinius, etc. Quare in suis familiis scribendis non tam latini fuissent *Pon-tanus, Bembus, Sadoletus, Barbarus, Corradus, etc.*

Sequuntur hi in ea re rationem potiusquam exemplum et morem aliorum. Hoc autem bonum habent, quod certam et constantem normam retinent, quae forte magis respondet consuetudini veterum scriptorum, eademque difficultatem solvit, qua fit ut plura Italorum cognomina in *i* desinentia et latine reddita per *us*, cum iterum italicè sint efferenda, iam nesciatur utrum in *i* vel in *o* primitus exierint. Namque saepe scripta legimus haec nomina promiscue: *Adriani, -o*; *Alciati, -o*; *Bruti, -o*; *Accorsi, -o*; *Brandolini, -o, etc.*

Manet tamen alia difficultas de cognominibus italicis in *-o*, quae si exeant in *-ius* possunt confundi cum exeuntibus in *-i*; et etiam cognomina italica in *-i*, reddita latine per *-ius*, possunt rursus italicè ab ignaris reddi per *-io*.

c) Alii non pauci¹ in cognominibus usurpandis aurium potius iudicium quoddam, quam rationem sequendam putant et sequuntur. Aliquibus in cognominibus Ricciana et Lagomarsiniana terminatio illis probatur, qua latinitate donentur; in omnibus vero id fieri posse negant, quin cognomina latinitate donata propriam quodammodo naturam exuant. Etenim, quam facile cognomina quaedam externa terminationem in *ius* adoptant, tam aegre italica cognomina, quae fere in *i* exeunt, suscipiunt. Itaque cum nulla adsit certa ratio, quid sequamur, italica cognomina sic censent latine efferenda, ut apta cadant, et aures non offendant.

« Nec tamen repugnabo, si quis ea maxime cognomina, quae a nominibus orta videntur, in *ius* desinere velit, scribendumque censeat *Faustinius, Marinius, Martinus* et huiusmodi: id nempe indicio erit, cognomina haec esse gentilia, quae nominibus propriis subiecta sint »².

¹ Ios. Marianus PARTHENIUS, *Comment. de vita et studiis Hier. Lagomarsini*, nn. 131-132.

² MORCELLI, *op. cit.*, lib. II, P. III, cap. 1, n. III.

66. Ratio in hac re sequenda.

1. Animadvertendum in primis est, « cognomina nostra, quaecumque tandem sint, Latinis externa esse atque barbara: quamobrem cum Latinorum lingua scribimus, ita haec nobis latine reddenda esse, quemadmodum externa illi et barbara olim reddiderint. Qui si hoc dant (cur autem non dent?), satis iam constare dico, Romana nos gentilium nominum lege non teneri. Quid enim apud latinos scriptores frequentius, quam cognomina peregrinorum diversa plane ratione scripta, quam tum Romae gentilia nomina scribebantur? Hamilcar a Cornelio Nepote cognomento *Barcas* dicitur, non *Barcius*, Asdrubal a Livio *Calvus*, non *Calvius*. Sic apud Caesarem occurret italicus homo appellatus *Ulcilles Hirus*, apud Tullium Siculi quidam his cognominibus, *Posides Matro*, *Artemo Climachias*, *Diocles Phimes*, *Eubulides Grosphus*, *Apollonius Geminus*, aliique huiusmodi »¹.

Atqui ex antiquis inscriptionibus exempla praesto sunt bene multa, quibus ostendi possit externas familias, ne tum quidem, cum Latio aut civitate donatae essent, nomina sua omnes Romanorum more inflexisse.

2. « Sed tamen hoc sibi Latini sumpserunt, ut cognomina aequae externa et propria declinarent, eaque de causa, quod nunc quidam aegre ferunt, litterulam illis in fine aut syllabam adderent, unde cognominis casus nosci possent. Quod a Graecis etiam factum adnotans Varro, « nostra, inquit, nomina ut Persarum et ceterorum, quos vocant barbaros, cum casibus dicunt » (*L. L. l. VII*): tum a Latinis non aliter reddita tradit, quae Gallorum essent et ceterorum: « Nam dicunt », inquit, » ab *Alaco* *Alacus* et sic alias »...

Aequos porro viros et latine scientes nactus, unam illam cognominum efferendorum rationem sequere, ut quae latina videri possint, iis nihil addas; quibus aliquid ad casus iudicandos deest, ea tantum littera una, vel una, si opus est, syllaba augeas, quo nempe latino aut graeco etiam ritu declinentur »².

¹ MORCELLI, *l. c.*

² MORCELLI, *l. c.*

3. Quoad vero cognomina, quae, secundum varias linguas, alio et alio modo scribuntur et pronuntiantur, quaeque plurimis terminationibus exeunt Latinis omnino inauditis :

I. non videtur probanda ratio ex qua :

- a) vel scribantur latine prouti iacent in propria lingua, cum sola terminatione latina ; v. g. *Lincolnius*, *Roosveltius*, *Bidaultius*, etc. Tunc enim pronuntiari etiam deberent, latino more, sicut scribuntur: quod absurdum ;
- b) vel latine scribantur prout plus minus pronuntiantur, cum latina terminatione : ut post renatas litteras mos fere fuit. Tunc enim iam difficile esset scire, ex sola latina scriptione, quid in recenti lingua proprie respondeat.

II. Aptior solutio illa erit, quam et Pontificii scriptores in actis Ecclesiae redigendis nostra aetate sequuntur, et alii etiam, si quando latine scribant de rebus huius aetatis, faciunt : latinitate donare nomen tantum, cognomen vero exscribere prouti in patria lingua scribitur.

Consuetudo haec est omnium recentiorum linguarum, quae non iam ad suas leges scribendi et pronuntiandi conformant externa cognomina, sed se aptant externis : quae res facilior, expeditior, clarior, tutior videtur.

67. Nomina geographica novarum nationum, provinciarum, urbium, etc. :

- a) Quae regiones, provinciae et urbes iam romanum habent nomen, antiquitus vel seriore aetate inditum, illud retineant ; v. g. *Italia*, *Anglia*, *Hibernia*, *Hispania*, etc. ; *Neapolis*, *Vindobona*, *Eboracium* (York), *Berolinum*, etc. Si enim aliquot abhinc saeculis conditae sint, nomen plerumque latinum iam habent, quod tamen si minus notum est, ponatur una cum recenti, eo modo quo supra (n. 59) diximus :

Scalabis (*Santarenum* vulgo Lusitani dicunt) (CORDARA, *Hist. S. I.*)

Argyropolis, quam urbem Hispani vulgo *Platam* appellant (ID.)

inde digressus Hafniam (*Copenhagen* vulgo nominant) (ID.)

- b) Advertendum tamen, antiquis nominibus latinis regionum et provinciarum, non semper, imo raro, respondere nunc eandem terrae circumscriptionem eosdemque fines; quare ut historiae et geographiae veritatem servemus, rectius novae terrarum partitiones novis vigentibus nominibus significabimus, ad latinas declinationes, si sit necesse, apte accomodatis.

Sic, verbi gratia, nomina : *Pannonia, Illyricum, Sarmatia, Dacia, Thracia*, alia bene multa, regiones nunc indicant quae diversis finibus partiuntur varioque modo appellantur. Dicamus ergo rectius : *Austria, Bulgaria, Romania, Hungaria, Cecoslovachia, Iugoslavia*, etc.

- c) Si nomina regionum et urbium sint prorsus nova et difficile accommodentur terminationi latinae, scribantur latine prouti vulgo scribuntur, et casus indicentur per appositiones : regio, provincia, urbs, etc. ; v. g. Sinarum provincia Ciang-Si, Kuang-tung, Fu-Kien ; Sinarum urbs Schianghai, Nan-Ciang ; Finniae urbs caput Helsinski, etc.

CAPUT V

DE VERBIS ADVENTICIIS ET BARBARIS SEU DE BARBARISMIS ET SOLOECISMIS

68. Barbarismorum natura et partitiones.

Barbarismus seu *rusticus sermo*, ut veteres appellant, est dictio aut omnino barbara seu peregrina, aut latina quidem, sed vitiosa usu, scripto aut pronuntiatione.

Cum autem, ut vidimus n. 10, *latinitas* reducatur ad *romanitatem* seu *urbanitatem*, nomine barbarismorum reiciuntur :

- 1) tum barbarismi improprie dicti, seu verba quibusdam regionibus propria et locis Urbi circumiectis [*provincialismos* vocamus] ; et plebeius sermo, constans verbis « abiectis » (3 *De Or*, 37, 150), « humilibus, sordidis » (Qt. VIII, 2, 1 ; 3, 16), « cotidianis, sordidis » (SEN. *Controv.* III, praef.), « invulgatis et sordentibus » (GELL. XI, 7 ; XIX, 13).
- 2) tum barbarismi proprie dicti, seu verba exterarum linguarum in latinam inducta, mutata tantum terminatione : quorum verborum potissima pars graeca est.

Art. I. DE VERBIS BARBARIS IMPROPRIE DICTIS.

69. Quid sit sermo plebeius, vulgaris, provincialis.

Ut in recentibus linguis vivis, ita etiam in latina, in ipsa urbe Roma, duplex dabatur *sermonis consuetudo* :

- a) *vitiosa et corrupta* : sermo nempe plebeius a tenuiore plebe inculta usurpatus, soloecismis plenus, et mixtus verbis sordidis, humilibus, abiectis. Invenitur interdum aliquanto purior, utpote cum a cultiore hominum coetu adhibetur in vulgaribus colloquiis et in scriptis familiaribus, ut sunt epistolae, quas « cottidianis verbis texere solemus » (CIC. *Fa.m.* IX, 21) et comoediae, in quibus « nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud cottidianae dissimile orationis » (CIC. *Or.* 5, 20 ; HOR. *Sat.* I, 4, 47). Bene enim dixit Quinitilianus : « est sua loquentibus observatio, sua scribentibus » (I, 6, 1) ;
- 2) *pura et incorrupta*, qualis est viri eloquentis oratio, cuius verba sunt « lecta et illustria, honesta et sublimia » (CIC. 3 *De Or.* 37, 150 ; QT. VIII, 2, 1 ; 3, 16).

70. Non confundenda verba vulgaria cum vetustis.

*Quidam autem recentes philologi, Germani praesertim*¹, *male distinguunt a vetustis verba vulgaria*, utraque eadem faciunt, utraque copulant in commentariis et adnotationibus, unum per alterum explicant. Res ita solvitur².

In omnibus linguis sermo vulgaris vivum corpus est quod crescit et mutatur ; eruditorum, contra, oratio perficitur, viget ad tempus et cadit : ita ut si certo tempore duo verba cognominata sumantur, quorum alterum sermonis vulgaris, alterum eruditi sit, hoc fere vetustius erit illo : quare verba vetusta et vulgaria ut contraria habenda sunt.

Si tamen saepe confunduntur, ideo est quia sat multa verba vulgaria *rustica* potius et *agrestia* dicenda sunt quam vulgaria, proindeque possunt simul esse vetusta. Nam, quamvis scriptores latini provinciarum magis in dies « ro-

¹ S. RUCKDESCHEL, *Archaismen und Vulgarismen in der Sprache des Horaz* ; I. URI, *Quatenus apud Sallustium sermonis latini plebei vestigia appareant*, p. 26 etc. ; F. STOLZ, *Geschichte der lateinischen Sprache*, p. 78 ; L. WÖLFFLIN, *Bemerkungen über das Volgärlatein* : *Philologus*, XXXIV, p. 149 : « vulgare saepe idem est atque vetustum ».

² J. MAROUZEAU, *Traité de Stylistique Latine*, - p. 182 sqq. *Vulgarismes*.

manae » linguae auctoritatem et arbitrium experirentur, suamque latinitatem magis romanam reddere quotidie conarentur ne patavinos se vel insubres, calabros, volsco aut oscos, praenestinos aut sabinos corrupte loquendo et scribendo proderent, verba tamen quibusdam regionibus propria, intra suos fines constricta vivere pergunt, et quidem stabiliora vetustioraque verbis romanis, quia minus corruptioni exposita.

Cum igitur inveniuntur, raro, in Classicorum scriptis, ut vetusta accipiuntur (quia usitata temporibus actis) eademque vulgaria (quia rara in Classicorum usu).

Quare vetusta et antiqua dicenda sunt, potius quam obsoleta ; rustica et agrestia, potius quam vulgaria et cottidiana. « *Rustica vox et agrestis* quosdam delectat, quo magis *antiquitatem*, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur » (3 *De Or.* 11, 42).

71. Sermonis vulgaris proprietates . quaedam.

Ut plenior sermonis vulgaris cognoscatur natura, quaedam eius proprietates sunt considerandae ¹.

1) Verborum forma incondita, nova, rudis

v. g. *burdubasta*, *mixcix*, *caldicerebrius*, *amasiunculus*, *oricularius* et alia huiusmodi, quibus utuntur servi apud Petronium vel comoedos.

Item adiectiva in *-osus* frequentia et nova : *argumentosus*, *umerosus*, etc. ; verba denominativa : *annihilare*, *nullificare*, *lathanizare*, *malaxare*, etc.

2) Sententiarum et periodorum forma horridior ac durior quam in erudito sermone ; vividior tamen, imaginibus abundantior, verbis sonantior ac significantior, quo fit ut novitate sua et colore omnium aures percellat.

3) Color veluti loci ac societatis ubi est in usu. Tenuiores enim e populo in angustiore vita et societate moventur, eorumque actiones et sermones exiguis finibus conclusi, nihil novi, nihil varii habent ; at gestus, mores, notiones, verba eadem semper sunt et communia.

¹ MAROUZEAU, *op. cit.*, pp. 186 sqq.

Quidam praeterea linguae temperant sive quia minus liberaliter instituti, sive quia decorum seu « convenientias sociales » quas nos appellamus, sequi volunt ac debent.

- 4) Imperitia vel pudor quidam in exprimendis animi affectibus. Multi enim facile ac libenter exprimunt cogitationes suas, at gravantur animi sensus exprimere, quos ideo insignificanter enuntiant, inepte, sine colore, sine proprietate, sine veritate.

Itaque vocabula quaedam communiora (v. g. bonum, bene, recte, satis, multum, nimium, magnum, habere, facere, is, etc.) ex vocabulorum priorum ignoratione, omnes significationis subtiliores varietates suppleant et ad universa promiscue usurpantur.

Argumento sit verbum « bonum » in capite 1^o, 2-4, operis Catonis « De Agricultura », ubi ineruditos agricolas docet : « praedium ... quod *bonum* erit ... in *bona* regione *bene* nitere oportebit ... uti *bonum* caelum habeat ... solo *bono* ... *bonumque* aquarium ... aut via *bona* ... uti *bene* aedificatum siet ... de domino *bono* colono *bonoque* aedificatore melius emetur ... loco *bono* siet ». Item c. 3-4 et alibi.

- 5) Usus ad plebem restrictus. Verba autem, quae ex nulla alia qualitate vulgaria apparent, nisi ex usu, difficilius patefiunt ac deprehenduntur. De eorum proinde vulgari qualitate, aperto testimonio indigemus ; v. g. *ad summam* (PETR. Sat. 37, 4, 10, etc.) ; *mehercules* pro mehercle (PETR. Sat. 43. 2, 8 etc.) ; *rivalis* pro aemulo (SEN. Ep. 20, 7) ; *breviarium* pro summario (SEN. Ep. 39, 1) ; *sermonari*, *copiari* (GELL. XVII, 2, 17) ; *manere* pro habitare (*Tab. defix.*) etc.

72. Barbarismi in verborum scriptione et pronuntiatione¹.

Interdum dictio est quidem latina, at vitiosa scripto vel pronuntiatione barbara omnino et peregrina : quod fre-

¹ EMM. ALVARI, *Institutio Grammatica*, lib. II, § 183 ; QUINTILIANUS, *Institutiones Oratoriae*, l. I, c. 5.

quentius occurrit in rudioribus documentis aetatis classicae et praesertim in senioribus inscriptionibus et in Latinitate corrupta totius Medii Aevi.

Latina autem dictio vitiosa fit pluribus modis :

- a) per genera, numeros, declinationem aut coniugationem ; v. g. *gladia* pro gladii ; *scopa* pro scopae, *tritica* pro triticum ; *vasibus* pro vasis ; *instavi* pro institi ; *consumabo* pro consumam ; *legebo* pro legam, etc.
- b) adiectione litterae, ut *follium* pro folium, *praecor* pro precor ; adspirationis, ut *honus* pro onus ; temporis seu syllabam brevem producendo, ut *circumdābo* penultima producta, pro circumdabo penultima correpta.
- c) detractio litterae vel syllabae vel adspirationis ; v. g. *santus* pro sanctus, *preest* pro praeest, *tempta* pro contempta ; *odie* pro hodie, etc.
- d) immutatione litterarum et syllabarum, ut *set* pro sed, *munnus* pro mundus ; et earum transmutatione e suo loco in alienum, ut *interpetror* pro interpretor, *thrao* pro traho, etc.
- e) tenore, cum accentu alio pro alio utimur : ut si prae-positiones a suis casibus separemus, easque tenore acute vel inflexo pronunciemus : ut *ad eum*, *ab illo*, *a quibus*, *circum litora* ; cum gravi accentu, dissimulata distinctione, simul cum suis casibus pronunciandae sint, tamquam si una esset vox.

73. Soloecismi natura et modi.

Soloecismus (a Soli, Cyliciae urbe, dictus) est vitiosa partium orationis compositio. In hoc autem differt a barbarismo, quod hic fit in singulis verbis, dictionem unam foedat ; ille fit in contextu orationis et compositionem corrumpit.

Pluribus modis fit prout pluribus modis contra grammaticae praecepta peccatur, addendo vel detrahendo vel transmutando partium ordinem vel immutando orationis partem

cum alia ; item fit per genera, per casus, per numeros, personas, modos, tempora, genera verborum, etc.

v. g. scribo *cum* calamo, ludo *cum* pila
 eo forum, redeo agro, pro : eo *in* forum, redeo *ex* agro
quoque ego, *enim* hoc voluit, *autem* non habuit, ne
quidem hoc : pro : ego *quoque*, hoc *enim* voluit, etc.
 stulti *grave* ferunt res adversas, pro : graviter
 quid *huc* agis ? pro : hic ; cur *hic* venisti ? pro : huc ;
non feceris cuiquam iniuriam, pro : ne, etc.
laeto fronte pro : laeta fronte
 quo *is* ? *Romae* ; venio *Brundisii*, etc.
venite (vocando aliquem) ; *sedeat*, *accedat* (male allo-
 quendo aliquem honoris causa ; pro : sede, accede)
 peto a te ut mihi opem *fers*, pro : feras
 mox *reddam*, pro : redibo

Vitandi pariter sunt soloecismi in locutionibus, seu modi barbari loquendi in latinam linguam invecti aetatibus serio-
 ribus, ab eiusque indole et proprietate plane abhorrentes :

v. g. abhorrere rem aliquam = ab re aliqua
 absit ut faciam = quod Deus avertat, quod procul
 absit
 accipere vel dare mutuo = mutuari, mutuam aliquam
 rem dare, accipere
 etc. Videas plura eiusmodi n. 26.

Art. II. DE VERBIS PEREGRINIS SEU BARBARIS PROPRIE DICTIS.

74. Verba externarum linguarum a Latinis usu recepta.

Sicuti in quavis lingua verba ex aliis mutuata et iam
usu recepta barbaris non adnumerantur, ita in latina quoque
 lingua verba quaedam peregrina dantur, quae iam barbara
 non sunt. Sic verba :

punica : mappa, mapalia

celtica : alauda, balteus, bracae, bulga, mirmillo, rheda, cas-
 nar, ambactus, vergobretus, essedum, etc.

hebraea : manna, sabbata-orum, etc.

etrusca : haruspex, haruspicina-ae, etc.

transpadana : ploxenum

graeca ad plura millia, etsi a vero aberrat Quintilianus cum dicit : « maxima ex parte romanum (sermonem) inde (= ex graeco) conversum esse » (I, 5, 67). Praecipuus autem numerus verborum graecorum habetur :

in rebus philosophicis, grammaticis, in studiis liberalibus : philosophia, -phus ; grammatica (ars) vel -ca, orum ; geometria, geographia, physica-orum, dialectica, arithmetica (ars) vel -ca, orum ; mathematica, historia, etc. et derivata

in rebus musicis : musica (ars) vel -ca, orum ; lyra, barbiton, cithara, symphonia, etc.

in rebus poëticis : poësis, poëma, poëta ; anapaestus, dactylus, choreus, etc. ; syllaba, hendecasyllabus ; comoedia, etc.

in artibus : bibliopola, pharmacopola, pirata, parasitus ; architectus, etc.

in arte gymnica, in schola : gymnasium, athleta ; schola, acroama, acroasis, anagnostes, palaestra, paedagogus, theatrum, etc.

in mensuris : schyphus, hydria, cyathus, crater, cadus, amphora, etc.

in commercio, etc. : syngrapha, apotheca, collybus, diploma, chirographum, ephemeris, etc.

alia quaedam acervatim afferimus : adytum, aenigma, aër, aërius, aether, aula, barbaria, basilica, basis, bibliotheca, charta, chorda, chorus, centrum, cylindrus, conus, clamis, cymba, epistola, heros, lychnus, ehippium, phaselus, stola, strophium, thesaurus, trophaeum, tyrannus, satrapa, lampas, scaphium, emblema, theca, eu, euge, pyramis, sphaera, etc.

75. Moderatus sit usus vocabulorum graecorum.

1) Vidimus iam (n. 52) quid de hisce vocibus senserint et qua ratione iis usi sint veteres scriptores latini, praesertim Cicero, qui semper, quoad fieri poterat, ab illis usurpandis abhorruit et vel verborum ambitus vel latina verba, etsi minus definita, adhibuit.

Sic pro *philosophus* ponit : sapiens, doctus
 pro *philosophia*, doctrina, doctrinae studium
 pro *lyra* vel *cithara*, fides, ium
 pro *physicus*, speculator venatorque naturae
 pro *physiologia*, naturae ratio ; etc.

Quare minime probandi qui nihil pensi neque moderati habent in graecis vocibus quibuscumque adhibendis.

2) Sine necessitate igitur, vel, si latina optima et propria dentur, sine magna aliqua utilitate (perspicuitatis, brevitas ...) non sunt usurpanda verba graeca, in cultioribus saltem latinis scriptis.

Vitiosa ideo erit latinitas in qua occurrat (nisi forte raro) : v. g.

academia, pro : litterarum sedes, collegium ...

allegoria pro : immutata oratio

apologia pro : defensio

apologus pro : fabula

acropolis pro : arx

atomus pro : corpusculum individuum

catalogus pro : index

diadema : pro insigne regium

dialogus pro : sermo

ephemeris pro : commentarii diurni, acta diurna, acta urbana, etc.

epigramma pro : inscriptio, titulus

harmonia pro : concentus, concordia, convenientia, etc.

metropolis pro : urbs caput vel princeps

methodus pro : ratio, via, ratio et via

orthographia pro : recte scribendi ratio, scientia

politica pro : disciplina reipublicae, ratio reipublicae administrandae, civilis prudentia (Cic. 1 *De Or.* 159 ; 1 *Rep.* 33. 50 etc.)

thema pro : res proposita, propositum, quod quaerimus, etc.

Haec et multa huiusmodi verba, plerumque possunt ac debent latine exprimi, ut sermonis latini integritati consulamus.

Liberior erit usus vocum quae sunt in artibus et litteris propria et « technica », ideoque omnibus nota ac passim

usitata. Generatim hac etiam in re modus est servandus, ita ut nec diligentius puritatem latini sermonis sectemur, latina verba insolentia vel minus apta et clara peregrinis substituentes, nec peregrina seu graeca inutiliter et impudentius sumamus.

76. Quaedam verba graeca non recepta in latina lingua, neque recipienda.

aestheticus = periphrasis verbis « pulchritudo, ars, pulchrum, elegans ; v. g. *senso estetico* = elegantia

alphabetum = litterae, elementa

amnestia = impunitas, rerum praeteritarum oblivio, venia et oblivio

amphibion = anceps bestia, in utraque sede vivens

anonymos, -us = sine nomine (scriptus)

antipodus-a-um = qui stat contrariis vestigiis, qui adversa nobis urget vestigia (Cic.)

apotheosis = alicuius computatio vel relatio in deos ; *fare l'apoteosi di qlc.* = aliquem in deos referre ; alicuius memoriam honore deorum consecrare (Cic.)

aristocratia, -tici = optimatum dominatus vel principatus, civitas quae optimatum arbitrio, consilio, auctoritate regitur ; optimates

atheos vel *atheus* = qui Deum esse negat, Dei infitiator

axioma = pronunciatum, enunciatum, enunciatio, effatum ; neque in disciplinis pro “ effatum verum per se et clarum ” quod nos *principium* vocamus

authenticus = verus, certus, sincerus, certae fidei, auctoritatem indubitatam et legitimam habens, etc.

autographus = mea, tua, sua (ipsius) manu scriptus, non aliunde descriptus

catastrophe-es = subversio rerum ; vicissitudo fortunae ; in fabulis : (tristis) exitus

character-eris = forma et genus dicendi ; mores, ingenium

chronica-orum = libri chronici, annales, etc.

chronologia = temporum descriptio, ratio, ordo

clima-atís = caelum, natura caeli

cosmopolita = mundanus, mundi civis et incola

crisis-is = iudicium, sententia ; discrimen

criterium = iudicandi nota vel vis

demagogus = plebis dux, turbator vulgi, novarum rerum studiosus

democraticus, -atia = homo popularis ; civitas popularis, imperium populi vel popolare, ratio popularis (Cic. *Rep.* I, 26, 42)

diatriba = disputatio, dissertatio

drama-atis = fabula, ludus scaenicus

echo-us (poët.) = vocis imago vel repercussio, vox repercussa

encomium = laudatio, laudes, praeconium

enthysiasmus-i = ardor, incitatio mentis, inflammatio animi, veluti sacri furoris instinctus

episodium = digressio (vel digressus) ab re (Cic. 3 *De Or.* 53 ; ubi plura verba graeca latine redduntur)

idea = species, forma, exemplar notio

melodia = cantus, canticum, modulatio

monologus = sermo intimus, meditatio (secum loqui)

monarcha, -archia = rex, dominus ; unius principatus, imperium singulare, regium imperium, regnum.

oda-ae, vel ode-es = carmen (lyricum)

oclocratia = multitudinis dominatus vel imperium

oligarchia = paucorum imperium

organum = membrum, pars (corporis)

organismus = corpus, corporis vel rerum concretio ; reipublicae corpus, ratio, instituta

panegyricus-i = laudatio, laudes habere de aliquo, aliquem laudibus extollere, etc.

plastica-ae, vel -ce-es = ars fingendi seu faciendi statuas

praxis, practica = usus, vitae usus

symbolum = signum, imago

symmetria = congruentia et aequalitas, convenientia partium

systema, -aticus, -atice = disciplina, doctrina, ratio, via et ratio ; ad artem vel via et ratione expositus, etc. ; ad rationem, ratione et via, etc.

theoria = ratio, doctrina, ratio et disciplina, etc.

zona = pars orbis ; v. g. zona temperata = orbis medius.

77. Barbarus est usus articuli graeci.

77. Barbarus est usus articuli graeci in explanatoribus seriorum aetatum, qui aliquod verbum declarandum afferentes, illud inducebant per articulum graecum. V. g. mihi liquet τὸ « dictitans » e turpi glossemate esse (ACIDALIUS, *Ad Tac. Ann.* XIII, 46, 5); scribis enim perviam ἀντὶ τοῦ obviam (Augustus in ep. fam. apud CHARISIUM, p. 209, 16 K).

S. Thomas et alii adhibent etiam particulam *ly* pro articulo graeco τὸ.

Veteres autem scriptores latini et optimi etiam post renatas litteras variis modis articulum circumscribunt. V. g.

a) elegantes, ex *eligendo* dicti sunt (CIC. *N. D.* II, 28): non vero: ἀπὸ τοῦ eligere

« meridies » ab eo quod « medius dies » (VARR. *L. L.* 6. 4)

πολὺ vero videtur addidisse ad id quod est παρὰ δόξαν (P. VICTORIUS, *In Arist. Rhet.* l. II, col. 327)

b) per substantiva *vis*, *vox*, *nomen* quae genetivus sequatur:

percipiendi vis ita definitur = l'intendere (CIC. *Fin.* V, 26, 76)

quid sonet haec vox voluptatis = il piacere (CIC. 2 *Fin.* 2);

c) per pronomina *ille*, *hic*, *ipse*: v. g.

quod verbis etiam accidit, ut illi « fero » (QT. I, 6. 26).

CAPUT VI

VERBA POETICA SEU POETARUM PROPRIA

78. Verborum poëticorum natura et usus.

Poëtica vocantur vocabula quae, cum conformationem quandam habeant, sonum, colorem sensumque imaginosum et figuratum, magis poësi accommodantur ideoque sunt fere poëtarum propria.

Haec autem, etsi « raro habent etiam in oratione ... dignitatem », praesertim in historica narratione, et suo loco posita « grandior atque antiquior oratio saepe videri solet » (Cic. 3 *De Or.* 38, 153), generatim in soluta oratione vitanda sunt.

Et revera Caesar numquam illis usus est ; Cicero autem tantum in carminibus vel cum animus impetu quodam et commotione excitaretur ; ut in « Somno Scipionis » c. 1, ubi Massinissa Scipionem Aemilianum complexus collacrimavit et « *Grates*, inquit, tibi *ago*, Summe Sol, vobisque reliqui *Caelites*, quod ... ».

At contra, frequentiora occurrunt in oratione argenteae et serioris aetatis, in quibus scriptores, omissa optimorum scriptorum concinnitate, omnis generis ornatum quaeritabant.

Quare factum est ut hi non solum nova verba poëtico suffusa colore fingerent derivando et componendo, sed antiqua etiam a poëtis usitata, utpote magis exquisita et significantia, praeferrent.

Neque sola verba poëtica hic comprehenduntur, sed quaedam etiam poëticae verborum constructiones, imagines, figurae, translationes quae poësim magis decent quam solutam orationem.

79. Voces quaedam poëticae.

- aevum* = aetas, vita, etc. ; sic *in aevum*, *integer aevi*, etc.
agmen = exercitus, multitudo ordinata ; (in soluta oratione
 est exercitus *incedens*)
almus = alens, nutriens, benignus, propitius
ambrosius = immortalis, suavis, divinus
annosus = vetus, senex, grandis natu
antrum = spelunca, caverna, specus
audens = audax
aurora = diluculum
ausum = audax facinus
basiare = osculari, osculum dare
beare = beatum efficere aliquem, fortunare, etc.
bruma = hiems
carbasus, *i* ; plur. *-sa*, *orum* = velum ; vela, ae
cinctutus = cinctus, succinctus
clangor = tubae sonus
claro, *as*, *are* = declaro, illustro, etc.
conamen = conatus (et plura in *-amen*) ;
dapes, *um* = epulae, coena, convivium
desolare = vastare, vacuefacere, destruere
coruscus = tremulus ; splendens
decolor = colore corruptus, contaminatus ;
evalidus = validus
excetra, *ae* = hydra Lernaea, serpens
fatum = mors
feriari = ferias agere vel habere (tamen bene « *feriatus* »
 pro « otiosus »)
genitor = pater, parens (in oratione, de diis)
hymenaeus = carmen nuptiale
immaculatus = integer, inviolatus
imperterritus = impavidus, qui nulla re terretur
impuritia, *ae* = impuritas
innupta = virgo, puella
laetificare = laetitia vel gaudio afficere
letum = mors
longaevus = aetate proventus, senex
moderamen = moderatio, modus
mortalis = mortifer ; homo

navita = *nauta*
parentes = *maiores*
pauperies = *paupertas*
pelagus = *mare*
penetrable = *locus interior vel intimus*
philomela = *luscinia*
pontus = *mare*
popellus = *plebecula, minuta plebs*
primaevus = *primus, principalis*
ravidus = *furens, furiosus*
rigidus = *severus, asper, tristis*
sator, satus = *pater; natus, ortus, filius*
semianimis = *semivivus*
sepulcralis = *sepulcri; -crorum*
solamen = *solacium*
sonor = *sonus*
sopor = *somnus*
tartarus, pl. -ra = *infernus, orum*
terrificare = *terrere*
thalamus = *cubiculum; nuptiale cubiculum.*

80. Quaedam poëticae verborum structurae et epitheta composita.

- 1) *carpere voluptates, soporem, vitam* = *frui, capere, perfundi voluptatibus, etc.*
carpere viam, iter = *emetiri, decurrere, conficere iter, etc.*
curvare arcum = *arcum tendere, intendere*
it clamor caelo = *ad caelum (Aen. V, 451)*
venire Italiam = *in Italiam*
pugnare alicui = *cum aliquo; etc.*
- 2) adiectiva quae tempus infinitum sequitur, more graecorum : v. g.
audax perpeti, bonus dicere versus, etc.
dignus perire, legi; fortis tractare, etc.
 adiectiva cum genitivo : *nescius fati, securus amorum, dives opum, etc.*
- 3) usus casus accusativi pro ablativo ; v. g.
ornatus tempora (HOR.) ; galeam indutus (VIRG.), obductae (mulieres) caput velo (P. MAFF.) ;

vel genitivi pro ablat. ; v. g. *infelix studiorum, maturus animi*, etc.

4) alii modi dicendi, ut sunt hi :

convexa caeli pro : caelum convexum (VIRG. *Aen.* IV, 451)

strata viarum pro : stratae viae (*Aen.* I, 422)

properare aliquid = mature parare, conficere, adire (prandium, mortem, etc.)

triumphare aliquem = triumphum agere de vel ex aliquo
pugnare bella, ire iter (VIRG. *G.* IV, 107) etc.

5) multa pariter epitheta composita, poëtis familiarissima, quaeque orationem corrumpunt potius quam ornant ; v. g. *arcitenens, armipotens, armisonus, auricomus, auriger, florilegus, floricomus, lauricomus, lauriger, ignifer, ignigena, ignivomus, ignipotens, silvicultrix, silvifragus, salutifer*, etc.¹.

¹ Videas apud MORHOFIUM, *Polyhistor*, T. I, lib. III, c. 11 : « Idea lexicī poëtici pro translatis ».

PARS ALTERA

De perspicuitate orationis

CAPUT I

DE PERSPICUITATE RERUM¹

81. Perspicuitatis natura et momentum.

Perspicuitas, quam Quintilianus (VIII, c. 2-3) primam et summam orationis virtutem saepe appellat, est evidentia quaedam sermonis, qua res ita exponuntur ut manifeste et clare appareant. Unde perspicuus est sermo, qui ab iis ad quos loquimur, plene, accurate et facile intelligitur.

Eius necessitatem docet Aristoteles (*Rhet.* III, c. 2) : « Oratio quae rem non declarat, officio suo decidet : ὁ λόγος ὃς ἄν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσῃ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον ». « Nemo — ait Cicero (3 *De Or.* 14) — extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut qui adessent, intelligerent quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset ». « Quare non ut intelligere possit (auditor), sed ne omnino possit non intelligere, curandum » (Qt. VIII, 2).

Cum autem oratio et cogitatio mutuo nexu teneantur, qui nescit recte loqui, nequit recte cogitare ; qui recte cogitat, idem recte loquitur.

82. Perspicuitas rerum ex perspicua earum cogitatione primum oritur.

Ut res enim perspicue exponantur, debent prius perspicue cogitari. Ut autem clare cogitentur necessaria est :

1) *facultas mentis res dilucide intuendi*, quae ut habeatur, requiruntur :

a) *doctrina* de re tractanda, et utiliter etiam de aliis disciplinis affinibus. « Etenim omnes artes, quae ad

¹ KLEUTGEN, *Ars Dicendi*, P. I, c. I, art. 1. Quae rerum perspicuitas, cum sit communis omnium sermonum (ideo et latini) proprietas, est hic vel breviter attingenda.

humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur » (Cic. *Pro Archia* 1);

- b) *exercitatio*, maxime dialectica; praeterea lectio scriptorum qui perspicuitatis laude maxime florent; horum operum summa capita et totam rei dispositionem notare; obscuriora et difficiliora tamdiu mente versare (etiam scripto), donec dilucida fiant;
- c) *animi tranquillitas*: fingendi enim vis effrenata, ardor praeproperus, affectio inordinata etc., mentem impediunt quominus rem vel attente consideres, vel recte et penitus intelligas;

2) *recta rei propositae meditatio*; ad quam requiritur:

- a) ut materiam sumas tuis humeris accomodatam: « Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam viribus, et versate diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res, nec facundia deserit hunc, nec lucidus ordo »
(HOR. *A. P.* 38 sqq.);
- b) ut rem probe lectam animo tamdiu volvas, dum eam penitus pernoveris, neque, ut primum rem statueris tractandam, ad scribendum te conferas;
- c) ne vicissim cum cogitationes non affluunt, animum despondeas; sed tentandae et excitandae ingenii vires;
- d) ne inter meditandum a re proposita animus aberret longius et vagetur.

83. Perspicuitas rerum oritur dein ex apta rerum copia et dispositione.

- 1) *Apta rerum copia*. Ut rerum multitudo animum cognoscentis turbat et obruit, ita vicissim cum pauca nimis afferuntur, res per se sola saepe non satis illustratur. Brevitas ergo cum copia socianda est.
- 2) *Apta rerum dispositio* ad unum efficiendum; quod maxime necessarium est in quovis artificio:
« Sit quodvis simplex dumtaxat et unum »
(HOR. *A. P.* 23).

Ex simplici enim intuitu, maior habetur lux ; ex harmonia, maior suavitas ; ex collectis iis quae, dissipata, infirma sunt, maior vis.

Oratio enim una est non cum de una tantum re singulari sermo est, sed cum omnia quae dicuntur, communi aliquo vinculo continentur, ut membra in corpore. Quapropter ex orationis argumento et ex fine, qui in dicendo propositus est, expendenda sunt omnia quae invenerit meditatio.

Praeterea, ut habeatur lucidus ordo debemus :

- a) *partes inter se distinguere* (ut, dum ex aliis partibus in unum quoddam coagmentantur, ipsae tamen rursum unum aliquod faciant, ut partes in corpore) et nihilominus optime *colligare*, non tantum ad totum formandum, sed inter se, ita ut lenis facilisque sit transitus.
- b) *partes ita disponere*, ut a se invicem lumen accipiant. Quare simul collocanda plerumque sunt quae eiusdem sunt generis aut persimilis, et insuper transeundum est a notis et perspectis ad incognita et obscura, ita ut sequentia ab iis quae ante dicta sunt, illustrentur ; nihil vero initio tractetur, quod intelligi non possit, nisi cognitis iis quae sequuntur.

CAPUT II

DE PERSPICUITATE VERBORUM SINGULORUM

Art. I. DE VERBIS USITATIS

84. Ut verba sint perspicua debent esse usitata.

Verba usitata illa sunt, quae eādem, quam tu iis tribuis, significatione adhibentur ab optimis scriptoribus.

Si de vernaculis linguis sermo est, tunc verba usitata, a nobis usurpanda, illa erunt quae ab optimis scriptoribus praesentis aetatis adhibentur. Si autem de latina lingua agatur, cum non sit viva in usu vulgi, ita ut vocabula quasi silvae folia, mutantur in annos et cadant obsoleta novaque floreant ac vigeant (HOR. *A. P.* 60 sqq.), usitata verba illa erunt, quae aurea aetate floruerunt et ea quae sequentibus saeculis et nostro etiam tempore ex necessitate vel magna utilitate sunt rite novata.

Maius in lingua latina periculum est, quam in vernaculis, ne in verbis usitatis adhibendis decipiamur, cum eadem verba quae aetate aurea vigeant, vigeant et nunc sed significatione prorsus vel ex parte mutata, cumque interdum vocabula ipsa vernacula ex latina derivata, non iam nativum habeant sensum, sed novum plus minus ab antiquo immutatum.

Atqui Ciceronis, Caesaris aliorumque illius felicitis aetatis scriptorum verba, non sunt ab usu nostri sermonis latini intermissa, non facta sunt obsoleta, at in eorum scriptis, veluti in marmore aurove caelata, perpetuo florent et vigent incorrupta. Ab hoc igitur usu stabilis latinitatis, non debemus, ut nonnulli faciunt, recedere vel ignorance vel appetitione novae dictionis et singularis.

Verba autem tum vetustate, tum novitate, tum pere-

grinitate *insolentia*, iam vidimus quomodo et quando sint vel usurpanda (raro, ad illustrandam orationem; vel ex necessitate aut utilitate singulari) vel reicienda (nn. 13; 16-24; 28-29; 68 sqq.).

Art. II. DE VERBIS PROPRIIS

85. Ut verba sint perspicua debent esse propria.

Propria verba sunt, quae optime demonstrant id quod volumus iis significari ac declarari (Cic. 3 *De Or.* 13, 49).

Verborum autem proprietas, in qua maxime consistit perspicuitas, tripliciter accipitur (Qt. VIII, 2):

- 1) Primus intellectus est *sua cuiusque rei appellatio*; et sic opponitur translationi et circumlocutioni, praesertim ei qui euphemismus dicitur, quo sordida, obscoena, humilia vitamus.
- 2) Secundo modo dicitur *proprium inter plura quae sunt eiusdem nominis, id unde cetera ducta sunt*; v. g. *vertex* primo et proprie est id quod vertitur, vel circa quod aliquid vertitur; sed inde dicuntur *vertices* tum « aqua in se contorta » (*vortex*), tum summa capitis aut montis pars, tum ventus in girum spirans, tum caeli cardo seu polus.
- 3) Hinc tertio latius dicitur *proprium quod apta translatione ad aliud commode significandum communi usu est deductum*. Haec autem proprietas non ad nomen, sed ad vim significandi heic refertur; quod sollemne est proprietatis, quae fere non auditu, sed intellectu perpenditur: v. g. *carmen funebre* proprie *naenia* dicitur.

Sed in his omnibus nec proprietas virtus, nec improprietas vitium est.

Verbum proprium, quod nunc quaerimus, *illud est quo nihil inveniri possit significantius*; id est, quod ex optimo et constantiore usu, sive origine sive translatione, tributum est iis rebus, quas significare volumus.

86. Unde verba propria sint talia.¹

Hanc significandi vim illa verba obtinent, quae rem definite et accurate demonstrant.

- 1) *Definite demonstrant* ea, in quibus nihil est ambiguum, nihil incertum seu vagum :

a) *ambigua* sunt *vocabula* (philosophi ea barbare *aequivoca* vocant), quae, cum per se plura significant, etiam in ipso contextu orationis diverse accipi possunt :

v. g. Caius *consilium* meum non probavit.

Saepe tamen ambiguo ex industria quaesito, aculeata fit oratio ;

b) *vagum* et quasi fluctuantem sensum faciunt verba nimis generalia, quae rem innuunt tantum, non proprio nomine appellant :

v. g. Aspice *res*, quae in hac *parte* reipublicae adversus *bonum* graviter operantur.

- 2) *Accurate rem declarant* ea, quae nec nimium dicunt, nec parum, neque simile aliquid, sed id ipsum quod cogitas :

v. g. Nimium dicit qui *inflammatu*s* ira* pro *succensus* ; parum qui *opinor* pro *persuasum habeo* ; ex similibus, *ambitio* pro *ambitu*, etc.

87. Quid requiratur ut verba sint propria.

Hos quos diximus, defectus proprietatis in verbis vitabimus, si cuiusque linguae naturam, verborum proprias certasque significationes, dicendi modos scite teneamus ; nam qui haec neglegunt, verba usurpant vaga rationesque loquendi minus idoneas adhibent, ita ut vel dimidiam, vel supra quod velint, vel nihil omnino sententiam suam aperiant².

¹ KLEUTGEN, *Ars Dicendi*, nn. 25-26.

² Quae proprietas seu *praecisio*, quam vocant, in verbis, valet etiam in stilo, in quo duplex « praecisionis » defectus perspicuitatem impedit :

a) ex affectatione magniloquentiae alii obscurant id, quod dicere

Proprietati igitur, ideoque et perspicuitati officit imprimis *verborum*, quae *synonyma* seu *cognominata* (Cic. *Part. Or.* 53) dicuntur, imprudens usurpatio.

Quare ad proprie scribendum :

- a) non sufficit vocabula ex optimis scriptoribus mutuari, sed necesse est etiam significationem, qua eadem verba illi usurparunt, optime cognoscere ;
- b) iuvat verborum etymon seu originem et discrimen perspicua habere ; nam vocabula saltem figurate vim etymi retinent, atque eā, qua alia ab aliis secernuntur, differentiā, res etiam significatas proprie efferunt.

88. Quomodo comparetur latini sermonis proprietas :

Tota ratio de proprietate sermonis latini consequenda cum in versionibus tum in compositionibus, est hic fusius et exemplis explicanda, quandoquidem dos est quae maximum habet momentum et est obtemptu perquam difficilis. Rem quam poterimus clarissime ita exponemus :

§ 1. *Proprietati sermonis latini consulemus adhibendo verba et dictiones quae plane vim exprimant coloremque nostri cogitati*

89. Debent igitur primum perspecta haberi verba latina cognominata seu synonyma.

Haec sunt quae fere eandem habent significationem, id est affinem similemque, et varios minimosque cogitationis veluti flexus exprimere valent ; sive sunt haec verba etymologice connexa, ut *animus*, *anima* ; *inventum*, *inventio* ; *vestis*, *vestitus*, *vestimentum*, etc. ; sive non, ut *invenire* et

volunt, turbâ inanium verborum ; magniloquentia autem verborum gravitate et rerum magnitudine continetur ;

- b) « alii brevitatis aemuli, necessaria quoque orationis subtrahunt verba, et velut satis sit scire ipsos quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant » (Qt. VIII, 2). Brevitas enim perspicuitati officere non debet.

reperire ; propinqui et consanguinei, affines, cognati ; memoria et recordatio ; absolutio et perfectio, etc.

Inter omnes enim formas ad mentem nostram exprimendam aptas, una ceteris melior est ; quam quidem non semper consequimur, quaeque tamen semper datur.

Nostrum non est hic integrum synonymorum indicem afferre, quod lexica faciunt, sed tantum hoc lectorem monere volumus :

- a) non semper affinitati soni vel etymologiae inter nostram et latinam linguam, respondere in utraque eandem etiam verbi notionem ; cum saepe vernaculae voces recentes verbum quidem latinum referant, at significatione serioribus saeculis prorsus immutata ;
- b) non semper sumendum esse — ut fere pueri solent — primum vocabulum inter plura quae latinum lexicon tradit alicui nostro verbo respondentia, at varia synonyma locutionesque perpendenda sunt : quo fit ut propriam cuiusque vocis vim percipiamus discamusque et integra latinitate utamur ;
- c) non semper posse nos vernaculam vocem uno latino vocabulo interpretari, at necesse interdum esse ut quaedam voces, praesertim ad artes doctrinasque philosophicas etc., quibus ditantur recentes linguae, reddantur latine per verba incerta vel cognominata, per nomina vel adiectiva neutrius generis, per circumlocutiones etc., quibus vel minima vis et umbra significationis, nostrae voci subiecta, exprimatur ;
- d) non semper, ad idem significandum, idem etiam vocabulum esse adhibendum promiscue in soluta et in ligata numeris oratione, in magniloquentia et in vulgari sermone, in variis animi motibus (cfr. n. 92), etc.

90. Bene etiam ad praeverbia in compositis attendendum est,

seu ad particulas quae adiectiva, adverbia, verba praecedunt, componunt et in sua significatione plus minus mutant, temperant, augent etc. : v. g. *adspicio, circumspicio, conspicio, despicio, inspicio, perspicio, prospicio, respicio, suspicio.*

Itaque in compositione :

a, ab, abs significat separationem, retractionem in partem posteriorem, aut privationem :

v. g. *amoveo, amens, abstineo, abscondo*, etc. ;

ad dicit proprie aut translate motum et directionem ad locum, ad finem :

v. g. *advenio, adduco*, etc. ;

interdum etiam vim verbo addit :

v. g. *adamo* ;

interdum actionis initium significat, ut in *addubito*, etc. ;

ambe, -bi (amb, am, an) = ἀμφὶ = circa, circum, ex utraque parte :

v. g. *ambio, ambesus, amplector, anfractus*, etc.

ante, anti, proprie de loco ponitur ; translate vero de personis, de tempore :

v. g. *antecedere, anteire, anteferre*, etc. ; *antecapere, antevenire, anticipare*.

cum (co-, com-, con-, etc.) : fere significat simul esse vel simul ferre, ut in *convivor, condo, compello*, etc. ; ceterum vim addit verbo quocum componitur, ut in *comendo, concerpo, conficio*, etc.

de 1) significat actionem ad extrema usque fieri, et est idem ac « valde », ut in *debacchari, debellare, desaevire, decertare, demirari, defatigare, defungi, devincere, deamare*, etc. ;

2) interdum simplicium verborum significationem demit vel aufert :

v. g. *decrescere, dediscere, dedocere, denasci* ;

vel simpliciter negat, ut in *dedecet, demens, desum, deformis*, etc. ;

3) saepe separationem, remotionem motumque deorsum dicit, ut in *decedere, demigrare, deicere, demittere, degredi*, etc. ;

dis (di, dir) = διὰ, significat :

a) divisionem totius in partes, ut *diduco, distraho, diffugio, dirumpo, disiicio* ;

b) divisionem alterius rei ab altera, ut in *digredior* ;

c) vim augendi, ut in *discupio, discrucio, dispudet* ;

d) vim negandi, ut in *discors, diffiteor* ;

- e) dat vocabulo simplici (v. g. facilis, cingo) vim contrarii, v. g. *difficilis, discingo*, etc. ;

e, ex, significat :

- a) motum ab intima rei parte ad externam, ut *educere, elabi, evadere, eicere, exponere* ;
- b) motum ab inferiore ad superiorem partem, ut in *efferre, effervescere* ;
- c) rem a natura sua quodammodo exire eaque exui, ut *effeminare, efferare* ; ideoque privationem et negationem, ut *effreno, egelidus, expers, elinguis, exanimare*, etc. ;
- d) actionem aliquam perfici sive ad finem perducere, ut *exaudire, enavigare, eniti, excedere* ; atque adeo interdum adverbio « omnino » respondet, ut *emori, enecare, evincere* ; vel augmentum solummodo notat, ut *exclamare*.

in (*im, i-*) in compositione eandem generatim multiplicem vim retinet, qua pollet separatim ; namque significat « intus », ut *inambulo, inaedifico* ; modo dicit « supra », ut *immineo* ; modo « intro », ut *ingredior* ; modo « contra » ut *impello, insulto* ; interdum etiam intendit augetque, ut *increpo, insono, infractus* ; ut adverbium, respondet graecis particulis $\alpha\nu$, α , et negat privatque, ut *indignitas, inhumanitas, indoc-tus, ignarus, insipiens, insanus, ineptus*, etc.

inter dicit medium quiddam. Ut adverbium vim suam retinet sive agatur de loco, ut *intercipere, intercludere, intercurrere, interiicere, interponere, interamnus, intervallum*, etc. ; sive agatur de tempore, ut *intercalare, interfari, interpellare, interrogare, interrex, interregnum* etc. ;

ob (*obs, os-, o-*) significat interdum « ad », ut *obcensi* pro *accensi* apud Ennium (*An.* 388) ; *obstetrix* (*ob* pro « ad » vel « circum » et « sto » vel « sisto ») ; interdum dicit « ante », ut *obversor, ostento* ; saepe « versus », ut *obvenio, occurro, obeo*, etc. ; item « circum », ut *obligo, obduco*, etc. ; item « contra », ut *oppono, obsisto, obiicio, obstinatus*, etc.

per 1) interdum dicit transitum per aliquem locum, ut *percurro*, *peragro*, *permeo*, etc. ;

2) plerumque auget, ut *peramanter*, *pervelle*, *perfacilis*, *pellucidus*, etc. ;

3) interdum minuit aut contrarium significat, ut *periurus*, *perfidus* ;

4) interdum continuationem notat et complementum, ut *persedere*, *perspectare*, *perorare*, *peragere*, *perficere*, etc.

prae 1) vim suam (« ante ») saepe retinet, ut *praecedo*, *praecido*, *praedico* (ante dico), *praemoneo* (ante moneo), *praematurus*, *praecaveo* ;

2) saepe auget, ut *praelatus*, *praecclarus*, *praevalidus*, *praecellens*, *praeacuo*, -cutus (valde vel in anteriore parte acuere), etc. ;

pro 1) significat « ante », ut *procedo*, *procurro*, *progredior*, *provideo* ; et « palam », ut *proloquor*, *prodo* ; et « procul », ut *profanus*, *prohibeo* (duae tamen postremae significationes in primam recidunt) ;

2) significat « vice », ut *proconsul*, *procurator* ;

3) significat « in defensionem vel favorem », ut *propugnare*, *prodesse*, *protegere*.

re (*red-*, *redi-*), graece ἀντί, significat :

a) retro, ut *reposco* (rem datam retro posco), *recedo*, *redeo*, *reddo* ;

b) quandoque perfectionem, ut *recognosco* ; quandoque reciprocationem, ut *redamo* ; quandoque « contra, adversus », ut *reluctor*, *repugno* ; interdum: saepe iterum iterumque, ut *reputo*, *resumo* ; interdum: de novo, ut *renovo* (rursus novum facio), *reficio*, *recoligo*, etc. ; quandoque: inde, ut *removeo* ; interdum reditum ad pristinum statum, ut *repuerasco* ; vel valde, ut *redundo* ; vel longe, ut *repostus* (longe positus) ;

c) quandoque contrarietatem suorum simplicium, ut *retego* (tectum denudo), *recludo* (clausum patefacio) ;

d) quandoque nihil omnino addit significationi sui simplicis, ut *repraesento*.

se (*sed-*) = sine ; fere divisionem et separationem significat, ut *secors* (socors), *secordia* (se-cor), *securus* (sine cura), *seditio*, *solvo* (se-luo), *secedo*, *seduco*, *segrego*, *seiungo*, *seligo*, *sevoco*, *sepono* ;

sub (*sus-*, *su-*, etc.) significat :

- a) deminutionem, ut *subdulcis*, *subirascor*, *subacerbus*, *subobscurus*, *subamarus* ;
- b) interim occultationem, ut *suborno*, *subceno*, *subausculto*, etc. ;
- c) interim subtus, ut *subhaereo*, *subalpinus*, *suspendo* ;
- d) interim motum ex imo in altum, ut *subrigo*, *suspicio*, *succurro*, *suspiro*, *sustollo*, etc. ;
- e) interim vicem et subiectionem sub alium, ut *submagister*, *subpraefectus*, etc. ;

trans (*tran-*, *tra-*) saepe significat transitum ab uno ad aliud, sive locum sive rem sive personam, ut *trado*, *traduco*, *transilio*, *transcribo*, *transcendo*, *transfero*, etc. ;
vel transitum per medium alicuius loci vel rei, ut
ut *transfigo*, *transluceo*, *transmeo* ;
vel ultra eum terminum, ut *transmarinus*, *transalpinus*, etc. ;

ve (*vae*) habet vim :

- a) modo augendi, ut *vepallidus* (valde pallidus) ;
- b) modo minuendi, ut *vegrandis* (parvus, minutus ; interdum praegrandis), *vesania*, *vesanus* (male sanus, insania, etc.), *vecors*, *vecordia* (demens, dementia), etc.

91. Praeterea attendendum est ad vim propriam derivatorum suffixorumque.

1. Derivata enim verba vim propriam accipiunt prout sunt intensiva, frequentativa, deminutiva, etc. Quare non erunt promiscue sumenda verba *bibo*, *poto*, *potito* ; *curro*, *curso*, *cursito* ; *cano*, *canto*, *cantito*, *cantico*, *cantillo*, *canturio* ; *duco*, *ducto*, *ductito* ; *dormito* et *dormio*, etc. (cfr. n. 47).

2. Nominum autem et adiectivorum suffixa peculiarem significationis mutationem inducere possunt. Sic v. g.

suffixa in *-tio* actionem seu fieri ipsum fere significant, dum suffixa in *-tum* rem factam dicunt, ut *scriptio* - *scriptum* ;
inventio - *inventum* ;

suffixa in *-osus* copiam dicunt et propensionem, ut *bibosus*, *clamosus*, *fragosus*, *limosus*, *generosus*, *piscosus*, *lapidosus*, etc. Quod suffixum, proprium sermonis vulgaris,

multa serioribus aetatibus adiectiva confinxit minus latina, ut *affectuosus*, *calumniosus*, *compendiosus*, *pomposus*, *scandalosus*, *virtuosus*, etc.

92. Attendendum insuper quae verba melius exprimant sensa omnia animi.

Ut latinum vocabulum, quod usurpamus, proprium sit, debet varia animi sensa motusque quibus verba proferimus, ut studium, amorem, pietatem, timorem, etc., quam fieri potest plenius, exprimere, et accomodari variis personarum et rerum adiunctis.

Habent suum verba colorem, habent quasi sensum vitamque, quibus hominis non mentem tantum sed et varios animi motus possint cumulate expromere.

Cur enim in Sacra Scriptura et apud SS. Patres et Ecclesiasticos Scriptores fere verba « *diligere*, *dilectio*, *caritas* » adhibentur, potius quam « *amare*, *amor* » ? En tibi ratio :

amare est ex appetitu et animalibus etiam convenit ; amamus propter voluptatem, impetu quodam et cupiditate naturali, honeste vel inhoneste.

diligere (*dilectio* : novum vocabulum christianum ; *caritas*) est ex ratione et iusta aestimatione, et proprium solius hominis ; diligimus propter virtutem, cautius et lentius ; quasi delectu adhibito unum prae alio amplectimur.

Quomodo igitur agentes de caelesti amore Dei, proximi, inimicorum, de amore ab ipso Christo in terras illato et imperato, non imprimis adhibuerint christiani scriptores voces *dilectio*, *diligere*, *caritas* ?

Sic *ater* et *niger* sunt eiusdem coloris ; sed

ater non nitet : atra nox, sanguis ater ;

translate, est infelix, tristis : atri dies ;

a poëtis ponitur pro funesto, lugubri, infelici, noxio, tristi : atra mors, atra cura ;

item de livido, maligno : atro dente petere alqm ;

niger vero nitet, et rarius translata et tristi significatione adhibetur : nigra pocula.

Item *albus*, *niveus*, *candidus* :

albus est color pallori coniunctus : *hederā* formosior *albā* (VIRG.), *alba* barba, *alba* cutis (alicuius aegroti) ;
niveus : *nivei* dentes, *lacerti* (puellarum) ;
candidus est splendori coniunctus, nitenti luce perfusus ;
 dicit aliquid *virginei*, *pulchri*, *grati*, *nivei* : *candida*
cutis (puerorum) ; *candidior* *cycnis* (VIRG.).

Item *filius*, quae vox exprimit fere solam generationis relationem ;

natus, *i*, dicit peculiarem parentum in filios caritatem ;
 usurpatur praesertim a poëtis ; in casu vocativo saepe,
 vel cum appositis singularis amoris, vel in adiunctis in
 quibus exprimitur pietas, commiseratio, commotio :
 v. g. *nate*, *care nate*, *dulces nati* ; *nati vulnera* vel
letum cernere, etc.

Item *homines* : communis vox ; et *mortales*, quae vox, « mor-
 tem » memorans, *homines* Diis immortalibus opponit,
 distinguit a ceteris rebus creatis ; est propria philoso-
 phorum et stili poëtici et magniloquentis.

Sic generatim voces locutionesque poëticae (cfr. nn. 78-80),
 quae res vividiore colore depingunt animique motus ver-
 bis coniunctos plenius exprimunt.

93. Cum denique est latine aliquid vertendum, attendere maxime debemus ad propriam vernaculae vocis vim,

seu quid proprie valeat in hoc verborum complexu (et non
 seorsum sumpta, prout iacet in lexico), utrum nempe pro-
 pria vel translata significatione sumatur, ut secundum hanc
 acceptionem, melius definitam consociatione cum aliis ver-
 bis, congruenti latino vocabulo vertatur. Sic v. g.

- *abbracciare il padre*, erit : patrem amplecti
abbracciare un partito = partes alicuius sequi
- *fermare il passo* = sistere gradum
fermare l'attenzione = attento animo considerare, atten-
 dere ad rem
- *metter la mano sul fuoco* = manum igni admoveere ; *sensu*
fig. = constanter asserere aliquid
- *impresa : assumersi un'ardua impresa* : arduum sane la-
 borem (rem) suscipere, sumere

impresa teatrale = conductores scaenorum, (histri-
num) vel ludorum scaenorum

desistere da un'impresa = incepto desistere vel absistere

le imprese di Carlo M. = res gestae Caroli M.

ha per impresa (stemma) un'aquila, il motto ... = aquilam
ut signum habet; sententiolam, illud verbum... suum
facit, sequitur, etc.

— *lampo*: fulgur, uris; fulgura interpretari

un lampo di speranza = aliquid spei (affulget)

un lampo di genio = ingenii motus

in un lampo = puncto temporis

— *concorso*: di gente in piazza = hominum concursus in
forum; concursum facere, fieri

gran concorso di gente = (maxima) hominum frequentia
vel celebritas (in viis, in templis)

vincere un concorso ginnico = certamen gymnicum vin-
cere

far un concorso in lettere = periculum in litteris facere

— *fronte* = frons, frontis: frontem contrahere vel explica-
re = corrugare, spianare la fronte

fronte di battaglia, di combattimento = prima acies

fronte della famiglia = conspiratio ad familiam fovendam,
defendendam

far fronte alle spese = impensis providere

tener fronte a qlc. = alicui obsistere, resistere

di fronte al pericolo = instante periculo.

Res ergo et cogitata quae subsunt verbis interpretanda
sunt, non verbum e verbo reddendum, cum, praesertim in
translationibus, singulae linguae proprias habeant formas
imaginesque, quae si ad verbum reddantur, insulae absur-
daeque evadunt. Itaque, qui vellet italicum proverbium:
fare un buco nell'acqua ad verbum latine reddere hoc modo:
« aquam perforare », insulse redderet; apte vero si dicat:
« *nebulas diverberare* » vel *frustra conari* vel *oleum et operam*
perdere, etc.

§ 2. *Proprietati sermonis latini consulemus sequendo propriam eius naturam propriumque ingenium atque colorem*

A). *Ratio multiplex latine rex pressius definiendi*

94. **Varius usus verborum vagorum et definitorum in latina lingua et in nostris.**

Ingenium enim et color linguae latinae poni primum debent in usu quorundam locutionum et verborum quae plures continent notiones, quas nostrae linguae propriis vocabulis efferunt. Idem dicas de quibusdam nostris vocibus, quae latine non pariter uno, sed pluribus modis secundum varias notiones proprius vertuntur.

Non igitur dicimus hoc latinae tantum linguae proprium esse, sed cuiusque, neque latius illam quam ceterae linguae hac proprietate gaudere; sed hoc solum spectamus, ut hanc communem linguarum proprietatem bene in mentem redigat atque observet quicumque vult ex latino vel in latinum sermonem aliquid vertere, ut utriusque linguae priorum usum verborum exacte definiat et religiose sequatur.

Multiplex enim vis inesse potest verbis, cum accipi possint proprie vel translate, subiective vel obiective, active vel passive. Et si interdum quaedam recentiorum linguarum substantiva cogimur variis omnino modis reddere latine, non ex sola illius inopia verborum fit, sed ex ipso diverso modo res concipiendi Latinorum.

95. **Exempla ex utraque lingua.**

Vel cursim pervolutanti lexicorum paginas statim offeruntur paene innumera verba, cum latina tum nostra, quorum pluribus significationibus respondent in alia locutiones variae ac propriae. Haec autem significationum coacervatio sub uno vocabulo, analogiae significationis debetur, quae tamen, cum ex diversa linguarum indole variet, non eadem est in omnibus linguis, neque inopiam aut vitium prodit, at potius perspicuitatem affert, cum res et verba ita

similitudinis ligamine ordineque nectat, ut alia ex aliis affinibus claritatem splendoremque accipiant. V. g.

magnus :

magna iactura = grave perdita

» barba = *lunga* barba

» civitas = *ricca, potente* città

» manus Iovis = *potente* mano di Giove

» spes = *viva* speranza

» vox = *alta, forte, potente* voce

magnus labor = *aspra, dura* fatica

» casus = caso *straordinario*

» locus = un passo *importante* d'autore

» mons = *alta* montagna

» ventus = vento *violento, forte*

magnum officium = dovere *importante, sacro*

» aequor = mare *vasto*

» opus = lavoro *importante*

» testimonium = testimonianza *autorevole, decisiva, schiacciante*

magnae preces = preghiere *insistenti, fervide*

» suspiciones = *gravi* sospetti ; etc.

summus :

summus amor = amore *ardentissimo*

» vir = uomo *superiore*

summa hiems = il *cuore* dell'inverno

» urbs = *la parte più alta* della città

» vox = voce *altissima*

» diligentia = *scrupolosa* diligenza

» consensio = accordo *pienissimo, unanime* consenso, *generale*, etc.

» eruditio = *profonda, vastissima* cultura

» victoria = vittoria *decisiva*

» via = *il capo* della via

» aqua = *la superficie* dell'acqua

» amphora = *la parte superiore* dell'anfora

» senectus, paupertas = *estrema* vecchiaia, povertà

» dies = l'*ultimo* giorno della vita

» oscula = baci *a fior di labbra*

summae res = *grandi* imprese ; il potere *supremo*

summo colore = coi *più vivi* colori

» *reipublicae tempore* = nel momento *più grave* ...
summīs viribus = con *tutte* le forze
 etc.

grande = *generatim* : *magnus* ; at *proprius* :

vento, dolore = *vehemens ventus, gravis dolor*

uomo = illustre = vir *clarus, magni ingenii vel nominis* ;
magno animo vir

= di statura = homo *ingentis staturae, vel staturā procerā, vel procerus*

ingegno = *praestans ingenium*

dotto, letterato = vir *litteratissimus, doctissimus*

scrittore, filosofo = scriptor *clarissimus, sapientiā clarus*

generale = dux *egregius*

amico, bugiardo = amicissimus, mendacissimus
 etc.

profondo :

altus = aqua, flumen, radices, plaga, somnus, silentium
depressus, demissus : loca

gravis : vox, sonus, vocis genus

magnus : luctus

summus : quies, pax, tranquillitas, eruditio, silentium,
 odium, dolor, luctus

accuratus : sermo

acerrima : cogitatio

multa, obducta, intempesta : nox

interiores vel reconditae litterae (erudizione)

recondita, subtilis : cogitatio, doctrina ; *subtilis* disputator, homo *subtilis* (pensatore)

placidissima pax ; pacatissima provincia vel civitas (in profonda pace)
 etc.

maniera :

modus (hoc vel tali modo, ad hunc modum)

ratio (qua ratione ? ratio vitae ; multiplici ratione)

genus (genus vitae)

ritus (graeco ritu sacra facere ; pecudum ritu)

mos (Carneadeo more et modo disputare) (Cic.)

usus, consuetudo = maniera solita

uno *exemplo*, uno *pacto*, eādem *operā*, eādem *viā* = alla
stessa maniera
humanitas, *urbanitas* = belle maniere
etc.

96. Varius usus numeri singularis pro plurali.

Interdum per synecdochen latina lingua — sicuti etiam nostrae, at non semper in iisdem verbis et locutionibus — singularem numerum pro plurali adhibet, apud historicos praesertim et poëtas :

- a) in nominibus militum et populorum, ut « *miles*, *pedes*, *eques*, *hostis* ... » pro « milites, etc. » : v. g.
« Exercendo quotidie *milite hostem* opperiebatur » (TIT. L. XXXIII, 3, 5) ;
« *Eques* usque ad castra pavidos egit » (ID. II, 25, 4) ;
« *Romanus* ira odioque pugnabat » (ID. III, 2, 11) ;
- b) in nominibus frugum, olerum, arborum, pecorum et, generatim, rerum vita carentium, cum designantur non res singulae, sed universae : v. g.
Villa abundat *porco*, *haedo*, *agno*, *gallina* (CIC. Sen. XVI, 56) ;
potare in *rosa* et *viola* (= tra rose e viole) (CIC. Fin. II, 20) ;
materia cuiusque generis in Britannia est, praeter *fagum* et *abietem* (CAES. B. G. V, 12) ;
de muro *vestem* iactabant (ID. *ibid.* VII, 47) ;
animantium *plumā* alias, alias *squamā* videmus obduc-
tas (CIC. N. D. II, 47) ;
item : *faba*, *piso*, *olere* vesci, etc.

97. Usus numeri pluralis pro singulari.

Plurali numero saepe efferuntur :

- a) substantiva « concreta » quae ad plures personas aut res referuntur, et reapse pluralia¹ sunt ; ut *animi*,

¹ Revera apud nos respondet saepius numerus singularis tantum ; interdum alteruter. Sic etiam latine saepius habetur pluralis, at in-

mentes, ingenia, corpora, terga, etc. cum agatur de pluribus hominibus : v. g.

Iuvenes *corpora* oleo perunxerunt (CIC. *Tusc.* I, 47) ; Hannibal visus est in *somnis* a Iove in consilium vocari (CIC.) ;

Naves quae ad *ancoras* erant deligatae (CAES. *B. G.* IV, 29) ; tamen etiam : Naves deligatas ad *ancoram* relinquebat (CAES. *B. G.* IX, 1) ;

pedibus iter ingredi (CIC. *Sen.* 10, 34 ; italice : a piedi ; gallice : à pied) ; tamen : « calcei habiles et apti ad *pedem* (CIC. I *De Or.* 54) ;

Caesar *hostes* invitat ad dimicandum (CAES. *B. Afr.* 73) ;

omnium *mentes animosque* perturbare (CAES. *B. G.* I, 39)¹ ;

immortalitas, aeternitas *animorum* (CIC. *Sen.* 21, 78), bellorum *exitus* = l'esito, gli eventi (CIC. *N. D.* III, 37), etc. ;

b) substantiva « abstracta », cum eadem res, proprietas vel actio quae exprimitur, refertur :

1) vel ad diversas personas aut res : v. g.

Catilina maxime adolescentium *familiaritates* appetebat (SALL. *Cat.* 14) ;

Non *velocitatibus* corporum res magnae geruntur (CIC. *Sen.* 6) ;

2) vel ad actiones repetitas, ad varias materiae partes aut formas, ad diversa tempora (praesertim poëticae) : v. g.

mortes, morbi, valetudines, fugae, timiditates, formidines, audaciae, irae, odia, etc. (= casi o forme di morti ... ; atti, manifestazioni, maniere di odio, ira, etc.)

terdum, ut docet usus, etiam singularis numerus, ut « *diem noctemque* » (CAES. *B. G.* VII, 42) et « *dies noctesque* » (LIV. XXXIV, 14).

¹ Tamen in ablativo qualitatis semper numerus singularis adhibetur ; v. g. *bono animo* erant ; *magno ingenio* philosophi, etc.

nives (= nevicate), *glacies*, *pluviae*, *imbres* (acquaz-
zoni), *frigora*, *ardores*, *aestus*, *siccitates*, *grandines*,
aquae ...

vina = qualità di vino, vini

cerae (pezzi di cera), *marmora* (specie, monumenti,
lastre di ...)

solis annui cursus (Cic.) ;

3) vel ad res reapse plures, ut

altitudines montium

uti somno et *quietibus* ceteris (Cic. *Off.* I, 29)

praesentiae deorum (Cic. *N. D.* II, 62, 166).

98. Latini eleganter per quaedam substantiva pressius designant :

1) obiectum quorundam verborum transitivorum :

alienarsi qlc. = *voluntatem* alicuius a se alienare (Cic. 2
Phil. 15, 18) ; obsequi *voluntati* tuae (Id.)

appoggiarsi a qlc. = *corpus* applicare alicui rei ; firmare
gradus baculo ; sic etiam : *corpus* imponere lecto =
mettersi a ... ; *corpus* curare = curarsi ; *corpus* librare
= librarsi, tenersi in equilibrio

correggere qlc. = *mores* vel *vitam* alicuius (melius quam :
aliquem) corrigere, emendare (Cic.)

corrompere qlc. = *iudicium* *sententias* (*fidem*) corrumpere
(Cic. *Cluent.* 44) ; donis tentare alicuius *animum*

oscurare qlc. = alicuius *laudem*, *gloriam*, *famam* obscurare

abbagliare la vista = *aciem* oculorum alicuius perstringere

commuovere qlc. = *animum* alicuius movere, commovere
dimettersi, dare le dimissioni = *magistratu* se abdicare (Cic.

Leg. II, 12)

resistere a qlc. = *consiliis* vel *studiis* alicuius obsistere, oc-
currere (Cic. *Am.* 8)

interrompere qlc. = (*mediam*) *orationem* alicuius interrom-
pere

spronare i cavalli = *cursum* equorum incitare

Interdum tamen etiam Latini dicunt se *nudare*, se
reclinare, *equos incitare*, *aliquem interrompere*, etc.

- 2) substantiva quaedam recentium linguarum a quovis complemento soluta : v. g.

animi :

munificentia = liberalità (SALL.)
 timor, metus = timore, angoscia
 virtus = valore, coraggio
 libido = desiderio, passione, capriccio
 ferocia = baldanza, ferocia
 iudicium = giudizio ;
 etc.

animo reputare, cogitare (pensare, riflettere), linqui (svenire)

rerum :

(omnium) desperatio = disperazione (CIC.)
 causae et consecutiones = cause ed effetti (CIC. 2 *Fin.* 14, 47)
 natura = natura, mondo, etc. (CIC.)
 inscitia, ignoratio = ignoranza (CIC.)
 emolumenta = premi, guadagni (CIC. 3 *Off.* 8).
 exitus = l'esito (CIC.)
 copia = abbondanza
 (omnium) inopia vel angustia = indigenza (estrema),
 carestia (CIC., TAC.)
 etc.

numero pauciores = più pochi

oppida *numero* ad duodecim = circa 12 città

ubique *terrarum* = dovunque (CIC. *Flil.* XIII, 16, 33)

ubinam *gentium* sumus = dove siamo ? (CIC. *Cat.* 1)

tanto conventu *hominum* (CIC. *Arch.* 3)

tota igitur *ratio* talium largitionum (= tales largitiones omnes) vitiosa erat (CIC. 2 *Off.* 17).

99. Latini denique pressius definiunt per participium quaedam locutiones nostras.

sui loro scudi ... = *caetris* superpositis *incubantes* flumen tranavere (LIV. XXI, 27)

in ginocchio = *nixus* vel *nixi* genibus (LIV. 43, 2)

in, sopra una barca = *exceptus* scapha (CAES. *B. G.* 3, 101)

in forma umana = *forma hominum indutus* (CIC. *Sull.* 27)
venne a cavallo = *equo insidens vel vectus venit*

per nave, in aeroplano, in treno, in carrozza, etc. =
navi, velivolo, hamaxostico, plaustro vel curru
vectus venit

senza riguardo = *nulla ratione habita*

senza utilità = *separata utilitate* (CIC. *Tusc.* 4, 5)

senza invidia, etc. = *amota invidia, ira, etc.*

Tamen etiam : *sine utilitate, invidia, etc.*

dopo molti giorni = *multis diebus interpositis*

su o sopra dei rulli appressano la macchina alla torre nemi-
ca = *opus omne ..., phalangis subiectis, ad turrim ho-*
stium admovent (CAES. *B. C.* II, 10)

per invidia, ira, dolore, etc. = *invidiā, irā, dolore (com)motus,*
impulsus, incensus, inflammatus, etc.

per paura = *timore percussus, perterritus*

per la noia = *taedio victus*

per la vergogna = *verecundia deterritus*

per malattia = *morbo impeditus*

nella speranza di ... = *spe excitatus, inductus, etc.*

senza speranza = *spe destitutus, deiectus, etc.*

Quae tamen participia latina non semper sunt verna-
 cule vertenda per praepositionem ; neque semper huius-
 modi nostrae locutiones sunt latine interpretandae eodem
 modo per participium.

B). *Ratio multiplex dicendi latine minus definite quam*
in nostris linguis

100. Quaedam nostrae locutiones longiores et magis defi-
 nitae latine redduntur :

1°) per simplices praepositiones « ad, in, de », etc. coniunc-
 tas cum substantivo :

in litteris, in philosophia, in historia, etc. = nel campo della
 letteratura, ecc. ; in sede filosofica ecc.

in salute (scil. tuenda, conservanda) *optimatum* = a propo-
 sito della salvezza ... (CIC. *Sest.* 48)

- quid ... populi Romani animum ... commemoro *in eo homine*,
 cui ... = nel parlare di un uomo, a proposito di quel-
 l'uomo ... (CIC. *Sest.* 55)
in laudibus, in probris, in moribus = a proposito di ..., in
 fatto di, trattandosi di ... (CIC. 1 *Off.* 18)
conscriptae in Ciliciam legiones = arruolate per essere man-
 date nella Cilicia (SUET.)
in virtutem dicere = a proposito della virtù
in bello, in pace = in tempo di guerra, etc. (NEP.)
hostes ubi de expugnando oppido ... spem se fefellisse intelle-
 xerunt = riguardo a, in ordine a (CAES. *B. G.* II, 10, 4)
plus huius inopia possit ad misericordiam, quam illius opes
ad crudelitatem = per suscitare misericordia ..., per com-
 mettere crudeltà (CIC. *Quinct.* 30)
ad figuram, quae bellua vastior elephanto = per ciò che ri-
 guarda ... (CIC. *N. D.* I, 35, 97)
sententia ad veritatem firmissima, *ad tempus* difficilis = per
 rispetto alla verità ... per riguardo alle circostanze
 (CIC. *Tusc.* II, 6, 15)
ad templum monumentumque pecuniam decernere = una
 somma per innalzare ... (CIC.)
nihil ad Persium = è nulla in confronto di (CIC.)

**101. 2°) per simplex substantivum, omettendo quaedam sub-
 stantiva nostra :**

modo :

di essere = habitus

di vivere = institutum

di dire o di esprimersi = oratio, locutio, elocutio, dictio

metodo :

deduttivo o induttivo = deductio, inductio

di educazione = institutio, educatio

di cura = curatio (CIC. 4 *Tusc.* 27) etc.

di assedio = oppugnatio (CAES. *B. G.* 2, 6)

terreno, campo, dominio : della discussione, della scienza, della
 filosofia, etc. = contentio vel disceptatio, scientia, ars,
 philosophia, etc. ; in scientia, in philosophia, etc. (cfr.
 n. 99)

piano di difesa = defensio

progetto di legge = rogatio

posizione privilegiata = praestantia

voto (*opinione, applauso, consenso*) generale, concorde = consensus

mananza o difetto :

di salute = infirmitas

di energia = segnitie, mollities

di volontà = socordia

di pratica = inscitia

di misura o moderazione = intemperantia

di rispetto = irreverentia

spirito :

di fratellanza o associazione o sociabilità = communitas, coniunctio (Cic.)

di indipendenza = libertas (Cic.)

di intraprendenza = industria (Cic.)

di sacrificio = liberalitas

di critica = censura, reprehensio

senso o sentimento :

della libertà = libertas (Cic.)

dell'ordine = ordo (Cic.)

dell'onore = honor (Cic.)

della dignità = dignitas (Cic.)

del decoro = decus (Cic.)

dell'odio = odium (Cic.)

d'invidia = invidia (Cic.)

di, del pudore, di vergogna = pudor, verecundia

del bene, dell'onestà = probitas, honestas (Cic.)

del dovere = officium (Cic.)

di giustizia = aequitas (Cic.)

di riconoscenza = pietas (Cic.)

di rettitudine = iustitia, integritas, aequitas

di amor patrio = caritas patriae, patria

di simpatia = amor

di ammirazione = admiratio

di moderazione = modestia (circa desideria et voluptates), moderatio (in loquendo)

di umanità = humanitas

d'arte, artistico = elegantia, ars

di delicatezza, modestia, rispetto, venerazione = *verecundia*

etc.

Tamen etiam latine invenitur :

percipere *sensum voluptatis*

sensus amoris

sensum omnem humanitatis amittere (Cic.)

etc.

norma di legge = *lex* ; a *norma* di l. = *ex lege*

norme dell'arte (esporre) = *de artibus scribere*

precetti dell'arte = *ars, artis praecepta* ; *ex arte* = conforme ai precetti etc.

possibilità :

di nascondersi = *occultatio* (CAES. B. G. VI, 21)

di rifiuto = *recusatio* (2 *De Or.* 89)

di esercitare la virtù = *exercitatio virtutis* (Cic. *Mil.* 13)

di scongiurare il pericolo = *deprecatio periculi* (Cic. *Rab.* 9)

et generatim substantiva abstracta in *-io*.

professione :

di giocatore (vel *giocatore di professione*) = *aleator* (d'azzardo), *lusor*

di oratore = *orator*

et generatim verbalia in *-tor*.

102. 3°) per simplex substantivum, omittendo quaedam adiectiva nostra : nisi ex ipso orationis contextu ad perspicuitatem sint necessaria.

pregio esteriore = *pretium*

segno esteriore = *signum*

vita esteriore ; interiore = *vita, victus ; ingenium*

causa esterna ; intima = *causa ; ratio*

bellezza o splendore esteriore = *species, splendor*

lineamenti esteriori = *lineamenta*

pratico : omittitur cum vocabulis : *exercitatio, facultas, usus, prudentia* (= *senno pratico*)

pensiero astratto = *cogitatio*

immagine concreta = *effigies* (Cic. *Or.* 9)

teorico : omittitur cum vocibus : *ars, scientia, ratio, doctrina, etc.*

contenuto *materiale* = res ; guadagno *m.* = *lucrum*, quæ-
stus ; bisogni *m.* = *inopia*, *indigentia* ; piacere *m.* =
voluptas

buona salute = *sanitas* ; *buona occasione* = *occasio* (Cic.
Off. I, 40, 142)

opinione soggettiva, personale = (mea, tua, etc.) *opinio*
occasione (circostanza, tempo, momento) *opportuna, favo-*
revole = *opportunitas*, *occasio*

al momento *opportuno* = (in) *tempore*

a tempo o luogo *opportuno* = (in) *loco*

(è tuo) merito *personale* = (tua) *virtus* est

nemico : *privato, personale* = *inimicus*

pubblico, nazionale ecc. = *hostis*

l'*ultima* traccia = *vestigium* (Cic. *Flac.* 25)

singolo : omittitur ante voces : *partes, horae*

intero : omittitur cum vocibus : *grex, agmen, exercitus*
(Liv. XXI, 28)

cattiva, mala coscienza = *conscientia* : v. g. *morderi con-*
scientia (Cic.) : tamen etiam : *mala conscientia*

retto sentire = *probitas*

azione disonesta = *turpitude*

sogni vani = *somnia* : « *haec metuo equidem ne sint som-*
nia » (Cic. *Attic.* VII, 23, 1).

103. 4°) per adverbium vel vocabulum deminutivum :

a) *pie* = con buona coscienza, in buona fede, etc.

innumerabiliter = in numero infinito di volte o di modi

religiose testimonium dicere = testimoniare attenendosi alla
più scrupolosa verità
etc.

b) *nervulos adhibere* = usare, farsi un po' di forza (Cic.)

specula oblectari = consolarsi con un filo di speranza

librarioli = miserabili scrivani (Cic.)

lacrimulae = lacrime di coccodrillo (Cic.)

voculae = voci di falsetto (Cic. 3 *De Or.* 98)

etc

104. 5°) per verbum vel locutionem praegnantem :

triumphare aliquem = riportare trionfo su qlc.

triumphari = essere trascinato in trionfo, dietro il carro del trionfatore (TAC.)

prodere urbem = consegnare la città per tradimento

coniungere bellum = intraprendere in comune ...

firmare stationes = collocare forti corpi di guardia (LIV.)

cum haec intonuisset = avendo pronunciato (detto) con voce tonante (LIV.)

rationes non interpositae = conti non alterati mediante interpolazioni (CIC.)

valetudinem excusare = addurre a scusa, a pretesto la malferma salute

praemium exsudare (= exsudando conseguire)

librum evigilare (= evigilando conficere)

aliquid accurare (= magna diligentia curare)

stellae rursus aperiuntur = si lasciano vedere di nuovo

audite litteras = permettete di leggervi la lettera

cogi = vedersi costretto

debeo = mi sento in dovere

dico, fateor = devo dire, confessare

moveor = mi sento spinto

terreor = mi lascio spaventare

obliviscor = voglio dimenticare

comperio = vengo a conoscere

non dico = non voglio sostenere, credere

non spero = non voglio o posso sperare

non defendo = non ho bisogno, non voglio difendere etc.

105. 6°) per substantivum, verbum vel adverbium compositum :

conformatio = conformazione armonica

denuntiatio = denuncia formale, pubblica

permotio = viva commozione

permutatio = cambiamento completo

perspicientia = conoscenza molteplice, chiara, ecc.

desperare = perdere ogni speranza

interbibere = bere fino all'ultimo sorso, tutto

conniti = appoggiarsi con tutte le forze

etc. Videas composita ex praeverbis *de, per, con, sub,*
etc., n. 90.

106. 7°) per comparativum adiectivi vel adverbii :

quibus apud nos respondet saepe gradus positivus cui praecedit : « *assai, troppo, abbastanza, in certo qual modo, un poco, un po' troppo, piuttosto* », etc. : v. g.

Senectus est natura loquacior = alquanto, un poco, un po' troppo, piuttosto loquace

Themistocles *liberius* vivebat (NEP., Them. 1)

sero te audivi = troppo tardi ...

nimius = troppo grande o lungo

melior = abbastanza buono

etc.

107. 8°) per imperfectum consuetudinis vel conatus :

quibus latine vertuntur locutiones nostrae : « essere solito ...; tentare, intendere, sforzarsi di fare qlco » : v. g.

In Graecia musici floruerunt *discebantque* id omnes = era costume in tutti, di ...; e tutti sollevano apprendere (CIC. 1 *Tusc.* 2)

Quid est Catilina? num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte *faciebas*? = tentavi, intendevi, ti sforzavi di fare? (CIC.)

Romae quotannis bini consules *creabantur* = si sollevano eleggere, era uso, costume, legge che si eleggessero ... (CIC.).

C). *Dissimilis vocum « abstractarum » usus in nostris linguis ac in latina*¹

108. Infrequentia verborum « abstractorum » in linguae latinae usu.

« Omnibus, qui linguae latinae aetatis aureae student, perspecta est scriptorum eiusdem aetatis cura usurpandi

¹ Comparatio fit praesertim inter latinam linguam et *neo-latinas* quae dicuntur, quae plerumque in hisce formis conveniunt.

verba "concreta" seu definita prae "abstractis". Cum enim populus romanus fuerit imprimis industrius et parum ad contemplationem proclivis, contendebat, quae cogitabat, veluti oculis manibusque attingere. Hinc latinae linguae raritas verborum "abstractorum", et, contra, mira constructionum verbalium copia; substantivorum numerus, ut patet, exiguus est, cum reapse et ipsa cum abstractionibus natura non differant »¹.

Hac ratione latinitas classica minus apta est philosophicis disceptationibus inquisitionibusque, quae cogitationibus abundant. Quare, quam difficultatem Cicero ipse expertus est in Graecorum philosophia latine interpretanda, ita ut debuerit vel mutuari vel novare verba, eandem postea experti sunt tum primi evangelicae doctrinae enarratores structoresque christianae disciplinae theologicae, tum philosophi illi saeculi XII et XIII qui aptissimo eloquio, multa novantes, abditas rerum causas, praeuntibus Aristotele et Platone ac praelucente Christi doctrina, penitus indagarunt.

Quamquam nostrum non est hic ad arbitrium ut generalem ac potiore normam statuere in lingua latina usum locutionum definitarum prae abstractis, sed tantum videre quomodo in hoc, sicuti in aliis locutionum modis, variet in unaquaque lingua usus abstractarum et definitarum locutionum.

109. Vocabula abstracta latina quibus apud nos fere voces definitae seu «concretae» respondent.

Ponuntur enim promiscue pro concretis :

a) *per metonymiam*, cum hominis qualitas aut status designantur pro ipso homine :

flagitia, facinora = homines flagitiosi, facinorosi (SALL.)

honestas civitatis = honesti civitatis viri (CIC.)

dignitates hominum = homines conspicui (CIC.)

nobilitatis (= nobilium) fautor fuit (CIC. *Rosc. Am.* 6)

innocentiam poena liberare (= innocentem) (CIC. 1 *De Or.* 146, 202)

¹ Henri GOELZER, *Etude lexicographique et grammaticale de la latinité de saint Jérôme*. Paris, 1884, p. 15 gallice.

servitia = servi (CIC. *Verr.* 2, 5, 4, 9)
latrocinium = latrones
causam alicuius sequi = il partito
convictiones domesticae = le persone intime
apparitiones = apparitores = servitori, seguito (CIC.)
imperia = duces, imperatores
stultitia = stulti (CIC. 3 *Tusc.* 30 ; etc.)
 etc.

b) *significatione collectiva* (ut fere apud nos) :

iuventus (CIC. *Sen.* 26 ; CAES. *B. G.* III, 16, 2) = iuvenes
 Huic ad urbem venienti tota obviam *civitas* (= cives) processerat (CIC. *Sext.* 35)
senectus = senes (CIC. *Sen.* 34)
iudicium = iudices (CAES. *B. G.* I, 4)
adulatio = adulatores (LIV. 42, 30)
vicinitas = vicini (SALL. *Cat.* 36)
remigium = remiges (LIV.)
matrimonia = uxores (TAC.)
fuga = fugientes (COLUM. 10. *RR.* 125)
advocatio = advocati (CIC.)
nobilitas, barbaria, coniuratio, legatio, consilium, praesidium, statio, milita, ingenium, excubiae, custodiae, vigiliae, insidiae, munitio, possessio, posteritas, etc.
 quae omnes voces ponuntur pro congruentibus definitis pluralibus ;

c) *pro adiectivis nostris coniunctis cum substantivis, cum*

notio praecipua est quae adiectivo exprimitur : v. g.
 locorum *opportunitas* = luogo favorevole (CAES.; SALL.)
 hominum *imbecillitas* = gli uomini deboli (CIC.)
 verni temporis *suavitas* = la dolce primavera (CIC.)
suavitas odorum = profumi soavi (CIC.)
 fontium gelidae *perennitates* = fresche fonti perenni (CIC.)
longinquitas morbi = lunga malattia (CIC.)
 Sullani temporis *calamitas* = i calamitosi tempi di Silla (CIC.)
intemperantia libidinum = passioni sfrenate (CIC.)
 unguium *tenacitas* ... *aduncitas* rostrorum = unghie tenaci ...
 rostri adunchi (CIC.)
 verborum *turpitude* = parole sconce (CIC.)
 verborum *contumelia* = parole ingiuriose (CIC.)

amoenitas orae = spiaggia amena (PLIN.)
miraculum magnitudinis = meravigliosa grandezza (LIV.)
deformitas reditus mei = il mio vergognoso ritorno (LIV.)
robora virorum = uomini robusti (LIV.)
simulacra pugnae = finte battaglie (LIV.)
occasio solitudinis = solitudine favorevole (TAC.)
vana rumoris = dicerie inconsistenti (TAC.)

d) *ut blanda vel contumeliosa appellatio* :

anima, animula = anima, animuccia mia, gioia mia
vita mea, desiderium meum, mea lux, deliciae, amores = mia
vita, mio amore, delizia ...
scelus = scellerato (CIC.; TER.)
senium = vecchiaccio (TER.)
caenum plebeium = feccia del popolo (LIV.)

e) videas nn. 97, b ; 112.

110. α) Pro substantivo abstracto¹, Latini saepe utuntur :

I) *substantivo definito seu « concreto »*, ad indicandum aetatis gradum, tempus, in ablativis absolutis, etc. : v. g.
Ego non eadem volo *senex* (= in senectute), quae *puer*
(= in pueritia) volui (SEN.)
Philosophiae multum *adolescens* (= in adolescentia) temporis
tribui (CIC.)
a puero, a pueris, etc. = a pueritia (CIC. *Brut.* n. 125 ; I
Tusc. 24, 57 ; I *Rep.* 6, 10)
Dumnorige deprecatore = per l'intercessione di ... (CAES.
B. G. I, 9, 2)
Nihil, *Caninio consule*, mali factum est (CIC.)
Livio teste = per testimonianza di ...
Pompeio duce = sotto il generalato, la condotta di ... (CIC.
Leg. Man. XII, 34)

¹ Substantivum concretum designat rem revera existentem, quae fere sensibus percipi potest : v. g. *leo, homo (angelus, Deus)*.

Substantivum abstractum rem quae sola mente concipitur. Haec autem res est :

- vel qualitas, ut *potentia, bonitas, albedo* ;
- vel status, ut *sacerdotium, famulatus*, etc. ;
- vel actio, ut *consummatio, inventio*, etc.

*Te auctore*¹ = per, dietro tuo consiglio (Cic. *Fam.* XV, 4)
Sapientis (= sapientiae) *est*, *stulti est*, *adolescentis est* = è
 proprio del sapiente, etc., è prova, indizio di ..., è sa-
 pienza, pazzia ...

111. II) *adiectivo neutro ad modum substantivi posito* :

verum, vera = la verità, il vero

verum scire, dicere, loqui = dire la verità (Cic.)

video vera esse quae dicis = vedo la verità di quanto
 dici

opinionibus vulgi rapimur, nec vera (= verità) *cerni-*
mus (Cic. *Sign.* II, 17, 43)

inane = il vuoto, lo spazio vuoto ; *per inane, per inania* =
 per l'aria

reliquum, reliqua = il resto, avanzo, ciò che resta

ambiguum = incertezza, dubbio, pericolo

ambigua = espressioni ambigue, oscure

arduum = difficoltà

miserum : *est nobis miserum* = è una sventura per noi ;

miserum ! = oh sciagura !

ita etiam : *iustum, aequum, bonum, malum, honestum, fal-*
sum, certum, utile, etc.

nihil novi, veri, sancti, recti, etc. = nessuna novità, verità,
 etc.

vero pretium aut gratiam anteferre = preferire, anteporre ...
 alla verità (SALL.)

¹ Huiusmodi ablativus absolutus apud optimos scriptores fere habetur cum his nominibus : « auctor, dux, comes, adiutor, -trix, iudex, magister, -stra, testis, interpretes ».

Ablativi autem absoluti : *aliquo auctore, teste aliquo* non integrae latinitatis sunt

a) cum deest verbum, ut in inscriptionibus librorum : v. g.

Vita Caesaris, auctore Suetonio Tranquillo

Historia S. J. auctore Iulio Caesare Cordara, etc. ;

b) cum significant : « al dire di ..., secondo quanto dice ... » neque actiones fiunt eodem tempore : v. g.

Magis auctoribus (= per consiglio dei Magi) *Xerxes inflammavit*
templa Graeciae (Cic.)

Constantinum crudelissimum fuisse Zosimus auctor est (non :
teste Zosimo) = stando a quanto racconta Zosimo.

cum praepositionibus: *in medium* venire; *in publicum*, *in unum*, *in altum* ...; *in medio*, *in publico*, *in tuto* esse, *in occulto* ...; *de cetero*, *e contrario*, *ex ambiguo*, etc.
 in plurali numero saepe, praesertim in casu nominativo et vocativo: *per ardua*, *per obliqua*, *extrema* agminis (LIV.), cuiusque artis *difficillima* (2 *De Or.* 16), in *intiora* aedium Sullae (CIC. *Ep. Att.* IV, 3, 3); in *occultis* et *reconditis* templi (CAES. *B. C.* III, 105, 4), etc.

112. III) substantivo plerumque definito seu concreto in plurali numero:

mores = spirito dei tempi; carattere, indole; condotta morale
instituta = condotta

sensus vestros imploro = mi appello al v. sentimento (CIC. *Sull.* 23)

angoribus se dedere, confici, resistere = malinconia (CIC. 2 *Off.* 1)

in *musicis*, in *numeris*, in *astris* (vel *caelestibus*) = nella musica, aritmetica, astronomia (CIC. *Fin.* I, 21; V, 29, 27)

vitia = immoralità

operis hominum effecta = dall'attività (CIC. 2 *Off.* 3)

actiones = amministrazione, esercizio di una carica (CAES. *B. C.* I, 5, 2)

instituta, leges = costituzione

opera rustica = lavoro dei campi (CIC. *Leg.* II, 12, 29)

elementa = alfabeto (SUET. *Iul.* 56)

pueritiae disciplinae = istruzione elementare (CIC. *De Imp. Cn. P.* 10)

recta = il bene; *pravitates* = il male

totos se alii ad poëtas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt = alla poesia, etc. (CIC. III *De Or.* 15, 58)

Pelopidas legatus in Persas est profectus (NEP. 16, 4)

Qui tam prope moenia Rheginorum videret (CIC. *Suppl.* LXI, 160).

113. IV) modo aliquo particolari verborum:

1º) *participiis praesente vel perfecto, coniunctis cum substantivo vel absolutis*

hostis nostros metuens (= metu nostrorum) fugit

Sol oriens et occidens diem noctemque conficit = col suo sorgere e tramontare; la levata e il tramonto del ... (CIC. *N. D.* II, 40, 1, 5)

Micipsa moriens praecepit = in (punto di) morte (SALL.)

me hortante, referente, absente = per, dietro, grazie alla mia esortazione, su mia relazione o proposta, in mia assenza (CIC., CAES.)

ego cogitans, cogitanti mihi ... = io, a me nel, al pensare, al pensiero (CIC.)

in existimantium arbitrium venire = cadere sotto il giudizio, nelle mani della critica (CIC. *Br.* 24)

multus variusque sermo, partim admirantium partim scire cupientium = parole di meraviglia e di curiosità (CIC. *N. D.* I, 3, 6)

adversum vel aversum hostem aggredi = di fronte, alle spalle

ab Urbe condita = dalla fondazione di Roma

legati necati = l'uccisione dei ...

defensa respublica = la difesa dello Stato (CIC. *Fam.* IV, 13, 2)

Licurgi disciplina sublata damno fuit = la soppressione della costituzione di (LIV. 38, 34)

movemur aliquo acute concluso = da una acuta conclusione (CIC. IV *Tusc.* 4, 7)

Ipsis hortantibus = ipsorum hortatione (CAES. *B. G.* 7), 20)

Caesare et Pompeio trucidatis = dopo l'uccisione di ... (FLOR.)

Sibi quisque caesi (= occisionis) regis expectabat decus (Q. CURT.)

Angebant virum Sicilia Sardiniaque amissae = la perdita della ... (TIT. LIV. XXI, 1, 5)

rogatum, inventum, etc. (iam ut substantiva usurpata) = interrogazione, invenzione ...

nihil fictum, nihil simulatum in amicitia = nessuna finzione, etc.

ante exactam hiemem = prima della fine ... (CAES. *B. G.* 6, 1)

litterae missae et adlatae = la corrispondenza (CIC. *Font.* 8).

114. 2º) gerundio vel gerundivo :

- Taedium vivendi, metus moriendi* = vitae, mortis (S. AUG.)
Acerrimus ex omnibus nostris sensibus est sensus videndi = visus (CIC. II *De Or.* 87)
me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur = aver-
 consigliato l'assassinio di C. (CIC. *Ep.* XII, 2)
castra munienda = la fortificazione del ...
mores puerorum se inter ludendum (= ludum) simplicius
 detegunt (QT. I, 3, 12)
puerum educandum alicui tradere = affidare a qlc. l'edu-
 cazione d'un bambino
pellendo finibus dominos = con l'espulsione dei padroni (LIV.
 41, 11)
sustentando et prolatando id malum opprimi nullo pacto po-
 test = cogli indugi e le tergiversazioni (CIC. *Cat.* IV,
 3, 6)
ab urbe oppugnanda abstertere = far rinunciare all'assalto
 della città (LIV. XXIII, 1, 10)
iuri et legibus cognoscendis studere = darsi allo studio, alla
 conoscenza ... (CIC. 5 *De Rep.* 3, 5)
liber de contemnenda (= contemptu) morte (CIC.)
in causis defendendis valet = nella difesa ...

**115. 3º) infinito vel sententia infinitiva : quod saepe etiam
 in nostra lingua fit :**

- Metrodorus beatum esse* describit = la beatitudine (1 *De*
Or. 42)
totum hoc beate vivere (= hanc beatam vitam, beatitatem)
 in una virtute ponere (CIC. 5 *Tusc.* 11)
bona largiri (= largitio bonorum) liberalitas, malarum rerum
 audacia fortitudo vocatur (SALL. *Cat.* 52)
plerique deos esse dixerunt, nullos esse omnino Diagoras pu-
 tavit = sostennero, negò l'esistenza ... (CIC. *N. D.* I, 1, 2)
commotum se esse dixit = manifestò la sua commozione (CIC.
Or. V, 9)
existimari non didicisse = passare per ignorante (CIC. 2 *De*
Or. 1)
permanere animos arbitramur = crediamo all'immortalità
 dell'anima (CIC. 1 *Tusc.* 16, 36)

Romae esse miserrimum est = il soggiorno a ... (CIC. *Fam.* 6, 11)

nego hoc fieri posse = la possibilità di ciò

non ita se rem habere arbitrantur = sono persuasi del contrario (CIC. 2 *De Or.* 1, 1)

pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit (SALL. *Cat.* 10)

is est reipublicae status ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse sit = la monarchia, l'accentramento nelle mani di uno diventa una necessità (CIC. *N. D.* I, 4, 7)

concedebat vera esse quae dixissem = ammetteva la verità delle mie parole

audivi te advenisse (adventurum esse) = sentii della tua venuta

oratorem te esse fateor = riconosco in te un oratore

Romanorum intererat Carthaginem deleri = la distruzione di Cartagine
etc.

116. V) *Propositione seu sententia aliqua* :

1. *relativa* : (qua et nomina « concreta » vertuntur) :

censeo iis utendum esse quae legibus comparata sunt = son d'avviso che bisogna restare nella legalità (SALL. *Cat.* 51)

illud quod eo quo intendis fert = ciò che porta alla tua mèta (CIC. 1 *De Or.* 30)

quod animo intendimus perficere = ottenere l'intento (CIC.)

quod est subinane (in nobis) = vanità (CIC. 2 *Att.* 17, 2)

quae contra disputantur = le obiezioni (CIC.)

ea quae movent sensus = gli eccitamenti dei sensi

eventus qui sequuntur (CIC. 2 *Leg.* 17), vel *ea quae* (rem aliquam) *sequuntur, quae post rem aliquam acciderunt* (LIV.) = conseguenze

quod volumus, quod expetimus, quod volumus perficere, id quod conamur, id quod peto, id quod agimus, quod amplexi sumus, quod suscepimus, id quod intendimus, quod mihi proposui, etc. = scopo, fine, intento

vae res (vel *ea*) *quae exportantur vel importantur* = articoli di esportazione o importazione (CIC. *De imp. Cn. P.* 6)
qui hominis speciem pingere didicit (vel *pingit*) = ritrattista (CIC. 2 *De Or.* 16)

ea quae dicuntur a testibus = dicta testium, testimonia (CIC. *Font.* 10, 23)

ea de quibus dicet, dixit, etc. = l'oggetto del suo discorso

quae traduntur = oggetto, materia d'insegnamento

ii quibus aliquis est praepositus (CIC. *Rep.* II, 26) ; *qui sub regno sunt* (LIV. XXXI, 6) ; *ii qui parent* (Q. CURT.) = i sudditi

ii qui ab aliquo profecti sunt, qui sunt ab aliqua disciplina = seguaci, discepoli (CIC. 4 *Tusc.* 3)

qui in eadem causa sunt = complici (CIC.)

is qui post eum fuit (CIC. 3 *De Fin.* 17) ; *huic qui successit* = il suo successore

ubi ea, quae dico, gesta sunt = il teatro di questi avvenimenti (CIC. *Verr.* 4, 48)

is qui legit, leget, legerit, etc. ; *is qui dicit, etc.* ; *is qui audit, etc.* = lettore, oratore, uditore [latine etiam : legentes, dicentes, audientes ; lector, orator, auditor et reliqua nomina in -tor, -sor statum seu professionem dicunt.]

ea quae generantur vel gignuntur e terra ; quae a terra stirpibus continentur (2 *N. D.* 33) ; *quae terra gignit, ea quorum stirpes terra continentur, etc.* = piante, regno vegetale (CIC.)

117. 2º) *propositione quae vel interrogat, vel declarat, vel concedit, vel causam dicit, tempus, condicionem, finem, etc.* :

Qualis sit animus (= naturam animi) ipse animus nescit (CIC. 1 *Tusc.* 22)

Plane quid sentiam (= sententiam meam) enuntiabo (CIC. 1 *De Or.* 26, 119)

quantum proficias non te poenitebit = del tuo profitto o progresso (CIC. 1 *Off.* 1, 3)

ex quo quanta vis sit amicitiae, vel quantum boni sit in amicitia iudicari potest = l'importanza, i vantaggi della amicizia (CIC. *Am.* 7, 23)

dic quid sentias = il tuo pensiero, opinione

Caesar *quid fieri vellet* exposuit = i suoi desideri, la sua volontà

si quaerimus *quae causa sit* ... = la ragione ...

quid est cur dicas ... = per qual ragione tu dici? ... che ragione hai per dire?...

firmissimum hoc adferri videtur cur deos esse credamus = sembra questa la prova più convincente dell'esistenza di Dio (Cic. 1 *Tusc.* 13, 30)

nomen explicare unde ductum sit = l'etimologia, l'origine del nome (Cic. *N. D.* 3, 24, 62)

si quaeritur *unde ortus sit numerus, ad quam rem adhibeatur* = l'origine e l'utilità del ritmo (Cic. *Or.* 60, 203)

cernit ... in quanto discrimine praesidium esset = la critica situazione del ... (Liv. X, 5, 4)

quaeritur *quid sit et an sit Deus* = l'essenza o la natura e l'esistenza di Dio

res, quemadmodum gesta sit, exponam = lo svolgimento, il procedere della cosa ...

ut quisque aetate antecedit, ita sententiae principatum tenet = l'anzianità è la regola (norma, principio per, di) per l'ordine della votazione (Cic.)

cum causa ageretur = durante la difesa (Cic. *Caecin.* X, 30)

cum triginta tyranni essent = al tempo dei trenta tiranni

antequam natus sum = prima della mia nascita

Caesar, *postquam in Treveros venit* (= post suum in Treveros adventum) *Rhenum transire constituit* (CAES.)

dum Romae sum = durante il mio soggiorno a Roma

ex quo cum quaereretur, respondit = a questa domanda rispose

tibi quod abes, gratulor = de tua absentia (Cic. *Fam.* II, 5)

num reprehendis quod patronum iuvit? = condanni tu forse l'appoggio dato al patrono?

quae si ita sunt = in questo caso

Romam veniam si tu prius Mediolanum veneris = a patto che

cum eo quod sine peccato fiat = con questa restrizione che (Cic. *Att.* VI, 1, 7)

quamquam monitus est (erat, etc.) = nonostante l'ammonizione

expecto si quid certius adferatur = attendo nuove più sicure
(CIC. *Ep.* XV, 1)

eloquentiae studendum est, etsi ea quidam perverse abutuntur
= nonostante l'abuso che qualcuno ne fa (CIC.)

id agit ut se conservet = per la sua conservazione (CIC.)

vos admonui ut legeretis ... = vi ho consigliato la lettura di ...

impedivit ne oppidum caperetur = l'occupazione del castello

timebant ne hostes aggrederentur = un assalto dei nemici.

118. β) Pro adiectivo abstracto nostro Latini interdum utuntur :

I) *genetivo vel ablativo cum « de » substantivi congruentis* :

civile = civium ; v. g. civium iura, libertas

cronologico = temporis, temporum : v. g. ordo temporis ;
descriptiones (indicazioni) temporum

erroneo (falso) : v. g. erroris opinio, erroris plena opinio,
opinionis error ; falsa opinio

filologico = verborum

letterario = litterarum : v. g. studia

filosofico = philosophiae : v. g. praecepta ; philosophorum :
v. g. more ; de philosophia : v. g. libri

fisico, materiale = corporis : v. g. dolor, vires, voluptas, vita

generale, universale = omnium : v. g. terror, consensus, etc.

giovanile = iuventutis, adolescentiae, iuvenum : v. g. iu-
venum ferocitas = baldanza giovanile (CIC.)

giuridico = iuris (consultorum), iurisprudentiae : v. g. re-
sponsa

intellettuale, spirituale = animi : v. g. oblectatio vel de-
lectatio = godimento ; mentis, ingenii : v. g. exerci-
tatio

matematico = mathematicorum : v. g. ratio = calcolo

morale = morum : v. g. praecepta ; conformatio = educazio-
ne o formazione m. ; de moribus, v. g. philosophia

nemico = hostium : v. g. equitatus, insidiae, etc.

naturale = naturae : v. g. bonitas, principia, etc. ; etiam
« naturalis » (CIC.)

momentaneo = brevis temporis : v. g. dolor

politico = reipublicae, rerum publicarum : v. g. partes r. =
partiti politici ; munera r. = influenza politica ; r.

tractandae usus = esperienza politica ; r. capessendae
 consilia = sistema politico ; rerum p. eversiones = scon-
 volgimento politici ; r. status = situazione politica, etc.

de re publica oratio = discorso politico

in re publica consilia = idee politiche

in re publica auctoritas = influenza politica

processuale = litium ; litis : v. g. litis instrumenta vel acta
 = atti pr. ; calumniā litium = con raggiri pr.

scientifico = scientiae, doctrinae : v. g. per vestigatio, inda-
 gatio, inquisitio, etc. = ricerca, indagine ... ; doctrinae
 instrumentum = materiale scient. ; doctrinae adiu-
 menta = sussidi scient. ; etc.

sensuale = corporis : v. g. voluptas, gaudia, oblectationes

storico = historiae, rerum : v. g. fides = verità o fedeltà st. ;
 historiae libri = opere storiche, etc.

teorico = cognitionis : v. g. studia ; rationis, etc.

umano = hominis vel hominum : v. g. virtutes, vitia, ma-
 nibus factus.

119. II) *participio, gerundivo, sententia relativa* :

invictus = invincibile (CIC. *Sign.* 38, 82)

insanos atque indomitos (= indomabili) *impetus vulgi co-*
hibere (CIC. 1 *Rep.* 5, 9)

quae vox potest esse contemptior ? = quale più spregevole
 esclamazione ? (CIC. *Sen.* IX, 27)

incorrupta vox bene iudicantium = incorruttibile (III *Tusc.* 3)

Vix erat credendum = credibile (CAES. *B. G.* V, 28)

optanda (= desiderabile) *mors est sine metu mortis mori*
 (SEN.)

labores non fugiendi = inevitabili (CIC. *Fin.* II, 118)

vix ferendus dolor = appena tollerabile (*ibid.* IV, 19)

materia facilis ad exardescendum = infiammabile (CIC. 2 *De*
Or. 190)

facilis ad subigendum bellua = domabile (CIC. *Rep.* II, 67)

quod resarciri non potest = irreparabile

quod superari non potest = insuperabile

quod nihil excusationis habet = inescusabile

quod non apparet ; quod cerni non potest = invisibile (CIC.)

cui nihil addi possit, nihil possit accedere = insuperabile,
 perfetto

exercitationes quibus utuntur omnes = comuni, soliti, consueti (Cic. 1 *De Or.* 5)
liber qui inscribitur = intitolato
quae in philosophia tractantur = argomenti filosofici
institutio quae ratione suscipitur = insegnamento sistematico.

120. III) *duobus substantivis non synonymis* (= *endyade*)
vel synonymis, vel sibi invicem appositis :

a) *endyade* :

ardor et impetus = focoso impeto, assalto impetuoso (Liv. III, 18, 9)
ares studiumque adhibere alicui = prestare facile ascolto, attente orecchie (Cic. *Arch.* 5)
clamores et admirationes = clamorosi applausi (Cic. 1 *De Or.* 152)
cognitio et ratio litterarum = scientifica, sistematica conoscenza della letteratura
ratio et doctrina (vel *disciplina*) = insegnamento metodico, razionale, teoretico ; metodo dottrinale (Cic. 1 *Tusc.* 62)
ratio et via, via et ratio = metodo razionale, scientifico ; sistema razionale (Cic. *Or.* 3, 10)
ratio et diligentia = cura scrupolosa
ratio et consilium = ragionevole riflessione
immortalitas et gloria = gloria immortale
institutio et litterae = educazione letteraria
iudicium arbitriumque = giudizio inappellabile
iuventus et vires = forze giovanili (Cic. *Sen.* 15)
maturitas et perfectio = perfetta maturità
locus ac sedes = luogo abitabile
litterae doctrinaque = cultura letteraria
natura pudorque = pudore naturale
proditio atque ignavia = vile tradimento
cupiditas atque amentia = furiosa cupidigia (Cic. 2 *Verr.* 4, 75)
moderatio et sapientia = saggia moderazione (1 *De Or.* 34)
temeritas et casus = cieco caso (Cic. *Div.* II, 85)
oratio et facultas = facoltà oratoria (Cic. *Arch.* 13)
officium et fides = leale, scrupoloso, fedele adempimento del proprio dovere (Cic. *Fam.* XII, 26, 6)

onus atque munus = ardua impresa

opere atque consulto = con deliberato consiglio, con premeditato lavoro (SALL. *Iug.* 92)

vis et arma = forza armata, delle armi

vis et manus = mano violenta (CIC. 1 *Cat.* 21)

vox et indignatio Fabi senis = la voce irata del vecchio Fabio (LIV. VIII, 33, 11)

lascivia atque laetitia = allegrezza tripudiante, sfrenata (SALL.) ;

b) substantivis synonymis (qua forma Cicero saepe utitur tantum ut numero et concinnitati consulat, nulla subiecta vi adiectivi) ut

ratio et intelligentia = ragione, speculazione (CIC. *Or.* 3, 10)

donum et munus = regalo (CIC. *Arch.* 18)

metus ac timor = vile timore, gran paura (CIC.)

recordatio et memoria = vivo ricordo (CIC. 5 *Tusc.* 88)

absolutio et perfectio = perfezione assoluta, somma (CIC. 1 *De Or.* 130 ; *Brut.* 137)

convenientia et consensus = armonico, perfetto accordo (CIC. *N. D.* III, 28)

contemptio ac despicientia = profondo disprezzo (CIC. 1 *Tusc.* 95)

ex hac turba et colluvione = da questa torbida e fangosa gora (CIC. *Sen.* 84) ;

c) duobus substantivis sibi invicem appositis :

rex dominus = regale padrone

reges advenae = re stranieri

tirones milites = soldati novelli, novizi

senex imperator = vecchio generale

puer servus = un giovane schiavo.

121. IV) *praepositione* « sine », *adiectivo* « plenus », *adverbio*, *aliis modis* :

a) *lectio sine ulla delectatione* = lezione noiosa (CIC. 2 *Tusc.* 7)

homo sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis = uomo miserabile, sleale, disperato, ramingo (CIC. *Cael.* 78)

sine viribus ira = impotente

sine animo miles = vile (CIC. *Att.* I, 18, 5)

sunt omnes *sine macula* = illibati (CIC. *Planc.* 14) ;

b) *consilium plenum sceleris et audaciae* = empio e audace (CIC. *Rosc.* 28)

artis plenum orationis genus = artistico, regolare (CIC. *Brut.* 114)

homo *plenus officii* = servizievole

plenus terroris nuntius = notizia spaventevole

verbum *plenum humanitatis, officii, benevolentiae* = cortese, premuroso, benevolo

plenus ignominiae, iucunditatis, gratiae, negotii, etc. = vergognoso, gioviale, grazioso, indaffarato, etc.

c) *omnis circa regio* = tutta la regione circostante

nullis extrinsecus adiumentis = senza aiuti esterni

deinceps reges = i re seguenti (LIV. III, 39, 4)

Marius *rusticanus vir*, sed *plane vir* = ma vero uomo (CIC. 2 *Tusc.* 53)

in *Apuliam circumque loca* = e luoghi circonvicini (SALL. *Cat.* 30, 3)

ex ergastulo miles = soldato ergastolano (LIV. 24, 15)

deorum saepe praesentiae = le frequenti apparizioni (CIC. *N. D.* 2, 166)

publice privatimque decus = pubblico e privato (LIV. I, 39)

d) *Graecorum consuetudo* = usanza greca

Romanorum litterae = letteratura romana (etiam : « latinae litterae »)

Carthaginiensium castra = campo cartaginese

facile est intellectu = comprensibile, intelligibile (CIC. *Part. Or.* 88)

etc.

122. γ) Pro adverbio nostro Latini saepe utuntur :

I) *substantivo in casu ablativo vel accusativo cum praepositione* :

arte (factus) = artificiosamente, artificialmente, ad arte, con arte

casu ; fortuna = casualmente, a caso ; fortunatamente

consilio, consulto = deliberatamente

furto = nascostamente
fraude, dolo = fraudolentemente, dolosamente
imperio = imperiosamente
industriā = attivamente
litteris, scripto = per, in iscritto
agmine = in fila
naturā = naturalmente, per disposizioni naturali
precibus = supplichevolmente
revera = veramente, realmente
ratione ; usu vel re = teoricamente, in teoria ; praticamente,
in pratica
(cum) silentio = silenziosamente, tacitamente, in silenzio
verbis = verbalmente, a parole
vi = violentemente, con, per violenza, forza
viā et arte, ratione et via = metodicamente, scientificamente,
sistematicamente
censores vitio creati = illegalmente (LIV. VI, 27, 5)
ex animo = cordialmente
ex improviso = improvvisamente
ex insperato = insperatamente
ex composito, ex aequo, ex confesso, etc.
ad verbum = letteralmente, parola per parola
per virtutem mori = valorosamente (SALL. Cat. 20)
per vim = violentemente
per dedecus = vilmente, disonorevolmente (SALL. Cat. 20)
per contumeliam = vergognosamente
per dolum atque insidias = astutamente e fraudolentemente
per dementiam = pazzamente
per ludibrium, per ridiculum = sprezzantemente ; scherze-
volmente, scherzosamente.
praeter spem, praeter expectationem = insperatamente, ina-
spettatamente, etc.

123. II) *adiectivo, verbo, duplici verbo seu endyade* :

a) vivo *miserrimus* (CIC. Att. III, 5) ; *laetus morior* (GEN. 46, 30) = miseramente, allegramente
multus atque ferox instat = con molte parole, di continuo e arrogantemente (SALL. Jug. 84)
sapientiam tacitus praeterire nullo modo possum = passar sotto silenzio (CIC. Pro Marc. I)

superior stabat *lupus* ... *inferior* *agnus* = di sopra, in alto, etc. (FAEDR.)

noctuabundus ad me venit = di notte (CIC. *Att.* XII, 1, 2)

erat ille *Romae frequens* = frequenter, saepe (CIC. *Rosc.* 16)

libens, laetus, imprudens, quietus, invitus, trepidus, strenuus, primus, medius, infimus, proprior, prior, nimius, assiduus, praesens, etc.

b) *soleo facere* = faccio di solito, solitamente

maturat ab urbe proficisci = parte frettolosamente, in fretta (CAES. *B. G.* I, 7)

volo = volentieri

opinor = probabilmente, forse

dubium non est, non dubito quin = indubbiamente, certamente

apparet, manifestum est = evidentemente

non desino, non desisto, non intermitto facere ... = continuamente, senza posa

necesse est = necessariamente

paulum abest quin = per poco non

accidit ut = casualmente, per caso

consuesco = ordinariamente

desperare omnem veritatem = rinunciare assolutamente, senza più speranza, alla verità

multa verba composita ex per adverbium continent

c) *cupere et exoptare* = desiderare ardentemente (CIC. 1 *De Or.* 2)

appetere atque deprecari = domandare espressamente

petere atque orare = far vive istanze, chiedere istantemente (CAES.)

delere ac tollere = cancellare interamente, del tutto (CIC. 2 *Verr.* 4, 84)

obscurare atque offundere = oscurare completamente

fundere atque fugare = sbaragliare completamente (SALL. *Iug.* 58, 3)

frangere et comminuere = rompere in pezzettini

divellere atque distrahere = staccare o separare violentemente (CIC. *Planc.* 102)

ferre et perpeti = sopportare pazientemente (CIC. *Tusc.* II, 58)

consumere et exhaurire = esaurire completamente (Cic. 3
De Or. 102)

extare atque eminere = spiccare con evidenza

profundere ac perdere = sprecare inutilmente (Cic. Fam.
V, 5, 3)

interdicere atque imperare = vietare espressamente

orare et obsecrare = pregare caldamente (Cic. Rab. 9)

in ipsa natura positus atque infixus = profondamente radi-
cato nella ...

commotus et turbatus = profondamente turbato (Cic. II
Verr. 4, 85)

relinquere et deserere = abbandonare vilmente, perfidamente
(Cic. II Verr. 4, 80)

D). *Nomina quaedam substantiva latina plures sensus
significantia : subiectivum vel obiectivum, activum vel passivum*

124. Horum substantivorum natura et usus.

a) Substantivum *subiectivae* significationis indicat aucto-
rem seu *subiectum* actionis :

v. g. *opinio* = id quod sentio

beneficium = actio benefica.

Substantivum *obiectivae* significationis, indicat *obiec-
tum*, terminum seu regimen actionis :

v. g. *opinio* = id quod de me sentiunt alii ; fama

beneficium = ipsum quod datur per illam actionem
beneficam, ut pecunia, etc.

Plura autem nomina usurpantur alias alia significa-
tione, et ex solo textu dignoscimus utra significatione
accipiantur. Quaedam vero alterutram tantum habent:

v. g. *scientia* tantum *subiective* pro « cognitione, intel-
ligentia, actu sciendi » ; contra, ad indicandam
« disciplinam », adhibentur voces : *ars, doctrina,
disciplina*

dubitatio sumitur tantum *subiective*

dubium, contra, tantum *obiective* ;

b) Substantivum autem significationis *activae* actionem
significat ; *passivae* vero passionem :

v. g. ut *mea memoria* est = per quanto mi ricordo
(significatio *activa*)
memoria huius rei abiit = si è cancellata (signi-
ficatio *passiva*).

**125. Quaedam substantiva a significatione propria obie-
tiva transeunt ad subiectivam.**

communitas = societas ; *sub.* = socievolezza, spirito di asso-
ciazione, etc. (CIC. 1 *Off.* 44)

antiquitas = res antiquae ; *sub.* = cognitio antiquitatis vel
historiae

discrimen = distinctio, differentia ; *sub.* = diiudicandi vis,
iudicium, « discernimento »

elegantia = eleganza ; *sub.* = buon gusto, sentimento arti-
stico (CIC. I *Att.* 8, 2)

gloria = gloria, onore ; *sub.* = desiderio di gloria, ambizio-
ne : « non parvas animo dat gloria vires » (Ov.)

humilitas = bassezza ; *sub.* = umiltà

indignitas = indegnità di una cosa ; *sub.* = indignatio :
« tacita esse poterit indignitas nostra ? » (CIC. X *Att.*
8, 3)

immaturitas = conditio immaturitatis ; *sub.* = praepopera
festinatio (CIC. *Quinct.* 26)

libertas = libertà ; *sub.* = « sentimento di indipendenza » :
« innata libertas » (CIC. *Sest.* 41)

litterae = lettere, letteratura ; *sub.* = « studio, cultura let-
teraria » (CIC.)

modus = misura ; *sub.* = moderatio (CIC. *Sest.* 37)

officium = dovere ; *sub.* = « sentimento del dovere »

varietas = rerum v. ; *sub.* = animi, voluntatis : « volubili-
tà », spirito di varietà (CIC. *Fam.* X, 18, 2)

veritas = verum, vera ; *sub.* = veracitas ut alicuius dos
(CIC. *Quinct.* 2)

vilitas : pretii alicuius rei ; *sub.* = modica, humilis sui aesti-
matio

ratio = calculus, supputatio, modus, via in agendo etc. ;
sub. = ratiocinatio, scientia, facultas, consilium

126. Quaedam a propria significatione subiectiva ad obiectivam transierunt.

fides : *sub.* = firma opinio ac persuasio quam habemus de persona aut re ; constantia promissorum, etc.

ob. = promissio, pollicitatio, patrocinium, rei veritas, credibilitas, etc.

religio : *sub.* = metus divini numinis (unde eius reverentia et cultus) ; metus laedendi Deum, unde « scrupulus »

ob. = res quae talem metum afferunt, fides, veracitas, vitae innocentia, sanctitas personarum et rerum, etc.

admiratio : *sub.* = stupor, actus mirantis

ob. = id de quo admiramur

accessio : *sub.* = actus accedendi, accessus ad aliquem

ob. = res ipsa addita alteri ; etc.

aequitas : *sub.* = animi moderatio, aequa in omnes agendi ratio

ob. = ipsa iusta agendi ratio secundum ipsam causae naturam : v. g. aequitas iuris (ius rigidum est ; aequitas de iure multum remittit)

facultas : *sub.* = potestas, vis : « capacità, possibilità, potere di ... »

ob. = animi dos, rerum copia

libido : *sub.* = cupiditas, petulantia, arbitrium

ob. = obscaenae imagines libidinem excitantes ; cfr. etiam : « libido decretorum tuorum » = l'arbitrarietà dei ..., i tuoi decreti arbitrari (CIC. *Verr.* III, 3)

memoria : *sub.* = recordatio

ob. = id quod recordamur, res memoriae infixae, res antiquitus tradita, historia

simulatio : *sub.* = actus simulandi, fictio, etc.

ob. = species, causa (« pretesto »)

spes : *sub.* = expectatio alicuius rei

ob. = res ipsa sperata : « spe potiri » (Ov. XI *Met.* 527) ; « expectantes beatam spem ... » (VULG. *Tit.* II, 13)

suspicio : *sub.* = coniectura, incerta opinio de malo

ob. = ratio, causa suspicandi : « suspicionem nullam habebam, te mare transiturum » (CIC. *ad Pompei.* 2 *post ep.* 11, l. 8 *ad Att.*) ; suspicio ipsa : « suspicionem parere, habere, praebere », etc. (CIC., NEP., etc.)

127. Substantiva latina significationis cum activae tum passivae.

Si in aliquo vocabulo haec duplex insit significatio, tantum ex orationis contextu vera significatio dignoscetur: v. g.
vis : *act.* = illata : « vim alicui facere, inferre »

pass. = tolerata, oppressio : « vim suorum (= suis illatam, a suis toleratam) pro suo periculo defendebant »
 (CAES. B. C. III, 110, 4)

visus : *act.* = visio, actus videndi : « visus effugere » = sfuggire gli sguardi (VIRG.)

passive = aspectus, id quod cernitur, imago, etc. : « visus inopinus, nocturnus », etc.

memoria : *act.* = m. mea, facultas qua memor sum

pass. = m. mei, qua alii mei recordantur

iniuria : *act.* = actio iuri contraria, vis illata ...

pass. = res ipsa iniuriā ablata : v. g. obtinere iniuriam = ut res nempe oblata restituatur (LIV.)

item *caritas*, *molestia*, *satietas*, etc.

Frequentiora sunt nomina quae actionem indicant et exeunt in *-io*, quaeque activā significatione (sola nativa) actum et modum et facultatem dicunt ; passivā vero, actionem quam quis fert et ipsum ferentem ; v. g.

liberatio : *act.* = actus liberandi

pass. = liberum esse ab aliqua re (CIC. *Fin.* I, 11)

curatio = cura, ratio curandi (tantum *act.*)

toleratio = actus et modus tolerandi (tantum *act.*)

oppugnatio = actus et modus et facultas oppugnandi (tantum *act.* ; CAES. B. G. II, 6)

expectatio : *act.* = actus et facultas expectandi (CIC. III *Phil.* 2)

pass. = expectari (CIC. *Verr.* I, 4)

recusatio : *act.* = recusandi facultas (CIC. 2 *De Or.* 89)

pass. = ipsa recusatio

fabricatio : *act.* = actus fabricandi, modus eius et facultas

pass. = res ipsa extracta : v. g. « tota hominis fabricatio » = organismo (CIC. *N. D.* II, 54)

spoliatio : *act.* = actus spoliandi

pass. = spoliari aliqua re, rei amissio : v. g. « spoliatio consolatus » = consolatus amissus (CIC. *Mur.* 40) etc.

E). *Differens in nostris ac in latina lingua usus substantivorum verbalium*

128. Verbalia in -tor, -sor, -trix plerumque non exprimunt, ut apud nos, tum habitum seu stabilem statum obiecti, tum brevem et transeuntem actum, sed tantum eum qui actionem aliquam ponit ex natura vel ex consueta artis suae vel muneris exercitatione. Et hoc :

a) *sive ad praesens tempus refertur* : v. g.

aliud est *amatorem* esse, aliud *amantem* (Cic.)

accusator = qui munere accusandi fungitur

auditor = qui audit vel discipulus est ad tempus

cursor = qui currit (in ludis), vel qui epistolas aliquo fert ex munere

moderator cupiditatis pudor (Cic.)

Sic *corrector*, *emendator*, *ensor*, *doctor*, *fabricator*, *fictor*, *pic-tor*, *glutinator*, *institor*, *mercator*, *confector* (negotiorum = incaricato di affari : Cic.), etc.

ignis confector et *consumptor* omnium rerum = che distrugge ogni cosa (Cic.)

natura *consultrix* = consigliera

effectrix beatæ vitæ sapientia (Cic.)

corruptor, *portitor*, *structor*, *orator*, *dictator*, *negotiator* etc.

b) *sive ad transactum tempus*, ut significet aliquid proprium et stabile alicuius personae : v. g.

conditor urbis

liberator patriæ

scriptor belli Troiani

huius deditiois ipse Postumius ... *suasor* et *auctor* fuit (Cic.)

Verres vetus *proditor*, *translator* quaesturae, etc. (V *Verr.* 58)

Zeno *inventor* et princeps Stoicorum (Cic. II *Accad.* 42, 131)

exceptionum *inventor* = uomo dei « ma » e dei « se », che ha sempre qualche obiezione (Cic. *Am.* 61)

Minerva *inventrix* belli (Cic. III *N. D.* 21)

129. Animadvertenda circa huiusmodi verbalia nomina.

- a) Cum actio singula est et transiens, Latini vel circuitione verborum (ut est sententia relativa, etc.) utuntur, vel participio praesenti vel alia forma : v. g.

l'oratore di oggi = qui hodie dicit, dicet, dixit

i miei venticinque lettori (MANZONI) = pauculi illi qui mea legent

Cicerone si presentò come *accusatore* di Verre = Cicero Verrem accusavit

Xerxes praemium proposuit ei qui invenisset novam voluptatem = all'*inventore* ...

- b) Raro Latini verbalia nomina usurpant ad singulas actiones indicandas : v. g.

convocatis *auditoribus* legere (CIC., *Brut.* 51, 191)

unum Platonem habere *auditorem* (CIC., *ibid.*)

Saepe autem difficile est discernere utrum actio singula an consueta sit.

- c) Cum vero verbale nomen deerat, Latini scriptores participio praesenti utebantur, ut

appetens aliquid, non *appetitor* alicuius rei

negotii gerens, non *gestor* (CIC. *Sest.* 45), etc.

temporibus sapienter utens ... amicorum *ferens* iniurias, *imprimis commissa celans* (NEP. *Epam.* 3).

F). *Dissimilis saepe usus troporum seu orationis immutatae in nostris linguis atque in latina.*

130. Proprius usus troporum in latina lingua.

De tropis hic agimus non prout ad orationis ornatum pertinent (n. 148 sqq.), sed quatenus ad idem significandum alii possunt esse in nostris linguis ac in latina ; cumque troporum usus frequens sit in hominum sermone, necesse erit in hac etiam re attente latinae linguae naturam ac proprietatem sequi.

Est autem tropus « verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio » (QT. VIII, 6, 66).

Cum virtute dicimus, id est ut ex illa aliquid vel gratiae vel luminis vel ponderis orationi accedat. Tropis enim utimur vel quia necesse est, ut cum proprium deest; vel quia significantius, vel quia decentius. Quare tropus improprius erit ubi nihil horum sit, vel ubi non ad latinae linguae indolem fiat.

Praecipuus et frequentissimus tropus est metaphora, qua vocabula rerum similium permutantur. Sive autem tropus est simplex seu verba simplicia respicit, sive tota continetur sententia, bene animadvertendum est non semper congruere in latina et in nostris linguis, at saepe alia et alia veste vel imagine convestiri.

Cum vero de integris locutionibus et sententiis figuratis agatur, ut exacte et proprie vertantur debet prius earum significatio definiri, ita ut integra et sola vis et notio illis subiecta reddatur; quare non semper necesse erit omnia et singula vocabula vertere; immo saepe cum tota vestis sit mutanda ad cuiusque linguae naturam et colorem, verba alterius linguae sunt prorsus neglegenda.

131. Exempla varietatis troporum simplicium.

- a) *aberrare*, *aberratio* a dolore, a miseria = distrarsi, distrazione, dimenticarsi del ...
- acies* mentis = perspicacia ...; oculorum = acutezza ...
- acuere* ingenium = esercitare, affinare ...
- iram* = accrescere l'ira
- aliquem* ad virtutem = infiammare ...
- aestus ingenii* = slancio della mente
- allatrare* alqm vel alqd = parlare, inveire contro ...
- allidi* in aliqua re = ricever danno in qlcosa
- alere* vires, bellum, urbem = accrescere, fomentare, favorire
- contundere* animum, calumniam = reprimere l'ardire, confondere, rintuzzare la calunnia
- convalescit* testamentum = diventa valido;
- ignis* = aumenta
- exarare* frontem rugis = solcare la fronte di rughe;
- librum* = scrivere un libro
- dolare* robur, opus = sgrossare il rovere; limare, correggere un'opera

fundere vocem, vitam, preces, etc. = mandar (fuori) una voce, esalar l'anima, pregare
lacerti = vigore, nerbo, forza dell'oratore
sucus civitatis = la forza, il vigore dello Stato

b) *adombrarsi* = perturbari, pavescere
balenare alla mente (un pensiero) = occurrere animo
battere la campagna = campos pervagari
 una via = viam sequi, ingredi
 nella stanza *batte* il sole = cubiculum sole perfunditur
beccarsi il cervello = torquere ingenium suum
calare le vele = vela trahere, contrahere
combaciare = congruere, convenire, quadrare (de lapidibus)
corazzarsi, corazzato (fig.) = indurare animum; induratus etc.

132. Exempla varietatis in sententiis figuratis.

Apud nos multae imagines sumuntur ex « *aqua* », quibus fere aliae congruunt latine. Itaque nos ad inutilem laborem indicandum, dicimus :

far un buco nell'acqua; pestar l'acqua nel mortaio;

Latini vero :

frustra conari (CIC.), *oleum et operam perdere* (CIC.), *litus arare*, *pleno sidera caelo addere*, *teruncium adicere Croesi pecuniae*, *imbrem in cribrum gerere* (PLAUT.), etc.

Ad idem vero significandum ex Latinis mutuavimus :
scrivere nell'acqua = scribere in aqua (CATULL.)

portar acqua al mare = mari aquam addere; in freta collectas alta addere aquas

portar sabbia alla spiaggia, nottole ad Atene = in litus fundere arenas, noctuas Athenas mittere.

Diversi pariter procedimus in hisce sententiis :

fuggir l'acqua sotto le grondaie, cader dalla padella nella brace, chiudere un buco coll'aprirne un altro, etc.

quae latine sonant :

ire de fumo ad flammam; de calcaria in carbonariam (cadere); *versurā vel versuram solvere* (= pecuniam feneratori accipere, ut aliud aes alienum dissolvatur: sic

creditor quidem vertitur seu mutatur, sed debitor eadem haeret difficultate).

lasciar correre l'acqua all'ingiù = omnia fortunae committere ; nihil curare

stare fra due acque = haerere (HOR.)

essere, trovarsi, navigare in male o basse acque = egere aliqua re ; indigere alicuius rei

marinaio di acqua dolce = iners homo (CIC.)

perdersi in un bicchier d'acqua = in portu impingere (QT.)

escare in acqua torbida, nel torbido = comparare sua comoda ex incommodis alterius (TER.)

voler vedere nell'acqua chiara = strictim attendere (PLAUT.)

tirar l'acqua al suo mulino = omnia ad utilitatem suam referre (CIC.)

acqua passata non macina più = praeteritum tempus numquam revertitur (CIC.)

pigliar due piccioni con una fava ; fare un viaggio e due servizi = uno in saltu duos apros capere (PLAUT.) ; duos parietes de eadem fideiā dealbare (CUR. apud CIC. 7 Fam. 29) ; una mercede duas res assequi (CIC. Rosc. 29, 80)

far la gatta morta = pardi mortem assimilare ; stultitiam simulare ; simulare (TER.)

comprar la gatta nel sacco = pretium solvere antequam merx ostendatur

gatta ci cova = vipera in veprecula est ; latet anguis in herba (VIRG.) ; equus Troianus

tanto va la gatta al lardo che ci lascia lo zampino = quem saepe transit casus, aliquando invenit ; qui periculum amat, perit in illo.

Nec est in infinitum abeundum in afferendis exemplis, cum ex his iam pateat singulis effatis seu sententiis respondere in variis linguis varias imagines et metaphoras, quae, si desint vel minus notae sint, vim ipsam effati, non verba, esse in alia lingua propriis verbis interpretandam.

At, cum tropi et figurae ad orationis ornatum praecipue pertineant et ad sententiam vel periodum, in sequens caput remittimus rem.

CAPUT III

DE PERSPICUITATE IN VERBIS CONIUNCTIS SEU IN SENTENTIIS ET IN PERIODIS ¹

133. Quaedam generaliter servanda in verbis coniunctis ².

1. In coniungendis verbis seu in formandis propositionibus servemus :

- a) primum, *consecutionem*, ne generibus, numero, temporibus, personis perturbetur oratio ;
- b) dein *morem* ; itaque coniunctio verborum ne sit obsoleta, nec insolenter novata, nec peregrina, nec eiusmodi, quae nonnisi rarissime occurrit : sic post renatas litteras quidam fecerunt et faciunt, ad eruditionis famam consequendam.

2. Praeterea, curandum est maxime, ut pateat ratio, quae inter omnes orationis partes, sive verba, sive sententias intercedit. Quare :

- a) *in sententiis simplicibus* verba ita iungenda et collocanda sunt, ut non solum certum (ex incerto enim ambiguitas oritur), sed etiam planum sit quo singula referantur ; secus difficilis est intellectus, quod saepissime accidit in participiis, genetivis, infinitivis, praecipue si

¹ Quam nos « *proposizione* » vocamus, Latini dixerunt *sententiam*, *enunciationem*, *enunciatum*, *propositionem*; quem vero nos « *periodo* » dicimus, latine appellatur *sententia composita* vel *coniuncta*, « *circuitus orationis* quem Graeci περίοδος, nos tum *ambitum*, tum *circuitum*, tum *comprehensionem* aut *continuationem* aut *circumscriptionem* » (Or. 204), aut *complexionem verborum*, vel graeco vocabulo et nobis clariore, *periodus*, *i* (f.).

² Videas KLEUTGEN, *op. cit.*, P. I, cap. I, art. 3.

geminantur, et in collocatione, si verba audacius traiciantur, aut quae vocabulo, ad quod referri debent, proxime iungi solent, ab eodem separentur.

- b) In *sententiis compositis* seu *periodis* curandum est ut ratio et nexus inter primariam et secundarias sententias ex ipsa informatione sermonis facile cognoscatur. Ideoque :

nec secundaria sensum contineat primarium ;
 nec secundariae, eādem ratione a primaria pendentes, diversa constructione enuntientur : v. g. *miror hoc te potuisse facere et quod facere ausus sis* ;
 nec, vicissim, quibus diversa est ratio, forma exprimantur eādem.

- c) *Sententia secundaria interiecta seu intermedia* obscuritatem facit

1) si post unum alterumve verbum sensum violento modo interrumpit ;

2) si longior est, et contextus non restituitur seu resumitur. Restituit Cicero : « Laetor quidem philosophiam, cuius antea supellectilem pluris aestimabam, quam possessionem reliquorum ; ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere possem, quidquid in studiis nostris concupissem ; *hanc igitur laetor* etiam acutiorem repertam, quam ceteras » (CIC. 5 *De Fin.* 32) ;

3) Multo magis si ita interponitur, ut interruptae sententiae exigua particula ad finem reiciatur : v. g. « Fieri non potest, *quin*, si ex huius montis cacumine immensam planitiem, quae ante te tectis, pagis, oppidis consita, late in omnem partem extenditur, conspexeris, *movearis animo* » (KLEUTGEN, l. c.) ;

4) Cum id quod medium est, utrimque possit trahi, ut si dicam : « Librum, quem nuper ad me misisti, cum aegrotus essem, nondum potui evolvere, quamquam a te venisset, gratus tamen fuit » ;

5) si multae sunt interiectae, eaeque rursus aliis et aliis intermediis scissae, ut apud CAES. B. G. II, 25.

- d) *Emendari* implicatae huiusmodi verborum comprehensiones variis modis possunt :

- 1) vel sententias alia ratione informando et iungendo ;
- 2) vel usu participiorum, sed cavendum, ne vicissim ipsa participia, minus feliciter structa, inobscurant sermonem ;
- 3) vel praecedendo inutiles cogitationes, quae rei declarandae causa additae sunt ;
- 4) vel dividendo in plures hanc nimis longam verborum continuationem.

3. Postremo videndum est *ne sermo sit fluctuans et dissolutus* ; quod fieri solet :

- a) cum oratio velut minutatim concisa per breviusculas sententias sine ullis articulis et nexibus procurrit, eas omnes *paratactice* disponendo ;
- b) cum sententiae iunguntur quidem, sed non apte, ita ut sermo male sibi cohaerens huc illuc fluctuet. In *Rhet. ad Her.* IV, 2 affertur hoc exemplum : « *Socii nostri cum belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam, quid possent facere, si quidem sua sponte facerent, et non haberent hic adiutores multos, et multos homines et audaces ; solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere* » ;
- c) cum ipsae etiam longiores complexiones verborum nullis commissuris inter se iunguntur. Latini enim concinnitatem ita amaverunt, ut vix non omnem sententiam cum ea, quae praecederet, connecterent. Hinc plurimae illae particulae (seu coniunctiones copulativae, disiunctivae, adversativae, conditionales, causales, concessivae, etc.), hinc relativa in principio sententiae pro demonstrativis posita, hinc illa « neque vero, neque enim », etc.

Neque tamen semper sic iungi sententias oportet. Cum enim per se intelligitur quae inter eas ratio intercedat (ut in enumerationibus, in narratione et descriptione, quoties oratio fertur incitatus), iunctura ista etiam cum virtute omitti potest.

Art. I. DE VERBORUM COMPOSITIONE IN SENTENTIA

134. Constructio verborum grammatica et rhetorica.

Cum in latina lingua singulorum verborum terminationes iam indicent proprium quorumvis munus syntacticum in propositione, maior in illa datur dispositionis varietas, quam in nostris linguis.

Itaque in verborum *dispositione grammatica et logica* subiectum aperit et praedicatum verbale claudit enunciatum; subiectum autem subsequuntur eius attributivae determinationes; contra vera, praecedunt praedicatum eius determinationes hoc ordine propinquitatis: accusativus (obiectum), dativus (complementum termini), cetera complementa (temporis, loci, causae, medii, etc.) cum suis determinationibus¹: v. g.

v. g. *Caesar, praestantissimus imperator, paucis annis, acri bello, Gallis clades ingentes intulisse traditur* (= subiectum, appositio cum attributo, complementa temporis, instrumenti, termini, obiecti cum attributo, praedicatum).

At, sicuti fere re et usu fit, si vim addere volumus uni alterive inciso, ordo verborum varie mutatur, ita ut primo et ultimo loco ponantur ea quae magis distinguere et illustrare volumus. Habetur hoc modo *compositio* (seu ordinata verborum dispositio) *rhetorica*, quae dicitur.

Videamus idem supra allatum exemplum, varie ad varia distinguenda incisa dispositum:

acri bello, Caesar, praestantissimus imperator ... Gallis traditur intulisse clades ingentes

ingentes clades Caesar ... traditur intulisse Gallis

Gallis ingentes clades traditur intulisse imperator praestantissimus, Caesar

¹ « Verbo sensum cludere, multo, si compositio patiatur, optimum est: in verbis enim sermonis vis inest; at si id asperum erit, cedat haec ratio numeris (= ordo logicus cedat rythmo), ut fit apud summos Graecos Latinosque oratores frequentissime » (Qt. IX, 4, 26).

Traditur Gallis ingentes clades ... intulisse Caesar
etc.

Saepe etiam, verborum ordo in enunciatione mutatur ratione numeri (cfr. verba Quintiliani p. 191, nota).

135. Ordo partium orationis mutuam rationem habentium.

« Illa nimia quorundam fuit observatio, ut vocabula verbis, verba rursus adverbis, nomina appositis (seu adiectivis) et pronomibus rursus essent priora. Nam fit contra quoque frequenter non indecore » (= ratione ornatus et numeri) (Qt. IX, 4, 24).

Has igitur normas fere sequamur :

a) attributum (adiectivum, participium vel genetivus attributionis), appositio, pronomina possessiva et infinita (quidam, quispiam, aliquis) :

1) subsequuntur substantivum, quocum iunguntur: v. g. *disciplina militaris, homo mortalis, tempus nocturnum, res rustica, res domestica, ius civile, aes alienum, pater meus, homo quidam, fabula aliqua, navis oneraria, ratio extrema, pontifex maximus, fructus voluptatum omnium, urbs pulcherrima omnium, studia eorum, Leonidas rex Spartanorum, philosophia vitae dux*, etc.

2) substantivum vero antecedunt, si sint maiori vi efferenda ¹ : v. g.

¹ a) Solent tamen quaedam nomina antecedere, ut *tragedia Ajax, ludi Apollinares, fabula Andria, provincia Sicilia, urbs Roma, imperator Tiberius, rex Deiotarus*. Sed post ponuntur semper voces *syllaba* et *littera* : v. g. *a littera, iota littera*, etc. ;

b) interdum vis substantivi mutatur prout adiectivum vel antecedit illud vel subsequitur : v. g.

vir bonus, optimus = onest'uomo, buona gente (plur.)

bonus vir = ben pensante ; patriota (Cic. 2 Off. 16)

bonae res = cose di pregio, circostanze favorevoli, fortuna

res urbanae = affari della città

urbanae res = arguzie, etc.

bona dicta = arguzie

clarus vir = persona benemerita

vir clarus = uomo illustre.

ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant (NEP. Epam. 3)
 ut vero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a providentia deorum (CIC. N. D. II, 51)
 duae urbes potentissimae, Carthago et Numantia (CIC.)
 me ad pontificem Scaevolam contuli (CIC. Am. 1)
 sumpta virili toga (CIC. *ibid.*)
 usitatae res facile e memoria elabuntur (CORNIF.)
 meus frater bonus est, tuus frater malus

- b) Pronomina demonstrativa et relativa, casus obliqui, adverbia, generatim antecedunt nomen vel verbum quibuscum coniunguntur; at postponuntur si distinguenda sunt:

illis temporibus

Demosthenes *ille* = il celebre D.

quaeque ipse miserrima vidi, et *quorum* pars magna fui (VIRG.)

constanter pugnare, *ferre* dolorem ...

Multa Catonis vel *acta constanter* vel *responsa acute* feruntur *considerate* agere; *agere considerate*.

Pronomen demonstrativum antecedit possessivo, et plerumque reliquis pronominibus:

hic vester liber; *iste* tuus vates

ille ego qui ... (VIRG.)

ille idem populus ...

etc.

- c) Modus infinitus et supinum pariter postponuntur cum magis efferri debent: v. g.

Pelopidas *non dubitavit*, simul ac conspexit hostem, *confligere* (NEP. Pel. 5)

Athenienses *miserunt* Delphos *consultum* quidnam facerent de rebus suis (NEP. Them. 2).

- d) Copula *sum*, *es*, *est*, etc. sententiam claudit; at praecedit si sit efferenda.

Participium item ei subsequitur, si sit ipsum efferendum: v. g.

Legatus in Persas *est profectus* (NEP. Pel. 3).

- e) Particulae negativae *non*, *haud*, generatim praecedunt verbum aut vocabulum quod negant: v. g.

facere *non* possum ... ; id credere *non* licet = non posso fare, non si può credere ciò
non possum facere, *non* credere licet = posso non fare, posso tralasciare ; non credere ...

At si efferendae sint, enunciatur aperiantur : v. g.
non enim Epicurei audiendi sunt
non ego secundis rebus nostris gloriabor.

f) Praepositiones possunt et praecedere et subsequi adiectiva et pronomina : v. g.

cum magna cura
 summa *cum* cura
 magna *ex* parte
 etc.

g) Coniunctio consecutiva *ut*, coniuncta cum *nemo*, *nihil*, *nullus*, *nusquam*, *vix*, *paene*, *prope*, *prorsus*, iis saepe postponitur : v. g.

nihil ut de commodis suis cogitarent
vix ut arma retinere possent.

Coniunctiones *autem*, *igitur*, *enim*, *quoque*, *tamen*, *vero*, semper post primum vocabulum collocantur ; reliquae, ut *etenim*, *attamen*, *itaque*, *namque*, *atqui*, etc., initio sententiae ponuntur.

Sed *autem*, *igitur*, *enim* interdum post duo vel plura vocabula ponuntur : v. g.

verius est *igitur*, quod ...
 moriendum est *enim* omnibus
 neque est *enim* ullus sensus in corpore
 haec est *enim* ... socratica ratio
 quid est *enim* ... turpius
 cum dicis *igitur*
 non videt *autem*
 ne carere quidem *igitur* in mortuo est (Cic. 1 *Tusc.* 36)

h) Verba monosyllaba generatim sententiam non claudunt, nisi sint *me*, *te*, *tu*, *is*, vel negatio *non*, *non item* : v. g.

atque id actum est praetore *me*, quinquennio antequam consul sum factus (Cic.)

Varroni quidem displicet consilium pueri ; mihi *non* hoc illi potuit contingere ; nobis *non item*.

- i) Verborum autem collocationem ad artem in sententiis, et figuras quae ex illa habentur, infra videbimus ubi de ornatu orationis agendum erit.

Art. II. DE PARTIUM COMPOSITIONE IN PERIODO

136. Periodi natura, partes, genera ¹.

- a) *Periodus* ² (graece περίοδος) est amplior verborum comprehensio, quae per partes inter se apte cohaerentes numerose absolvitur.

Partes igitur non solum ad rem unam seu ad sensum primarium referri debent, ut oratio sit unum aliquod et simplex; sed etiam coniunctione ipsa verborum debent aliae ex aliis pendere, « ut tamquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis » (CIC. *Or.* 207).

- b) *Partes periodi* sunt :

membrum (κῶλον) : est pars periodi alicuius magnitudinis, sensum et numerum habens, sed imperfectum et quasi suspensum ;

incisa (κόμματα) vocantur breviusculae periodi partes, quibus ipsa saepe membra composita sunt ;

protasis et *apodosis* (vel antecedens et consequens) periodum dividunt in duas partes, in quarum altera quidam habetur vocis ascensus, in altera descensus :

v. g. « *Etenim si veritatem amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur* (membrum, protasis, tria incisa) *necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama et fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur* » (CIC. *Pro Quinct.* 6, 26).

- c) *Periodorum genera* duo sunt :

1) *simplex*, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur; potest autem plura vel nulla incisa habere.

2) *composita* ex pluribus membris; nempe :
ex duobus (protasis et apodosis) = *bimembris* ;

¹ KLEUTGEN, *op. cit.*, P. I, c. VIII.

² Quomodo varie appelletur latine, vide n. 133, in *nota*.

ex tribus (protasis unum vel duo membra habet) = *trimembris* (vide supra ad *b*);

ex quatuor: et est optima periodus. Membra vero: vel aequaliter dispertita sunt: v. g.

« *Etenim si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poëtas nobiles poëtarum aequalium morte doluisse, quo tandem animo eius [Hortensii] interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere?* » (CIC. Brut. I);

vel tria membra protasis, unum apodosis complectitur: v. g.

« *Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio, quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum; aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet* » (CIC. Pro Arch. I).

Sed periodus non raro etiam in plura membra recte extenditur, quae vel aequaliter dividuntur, vel plura nunc protasis nunc apodosis complectitur. Hoc orationis genus *periodicon* appellant.

137. De compositione periodi.

1. Compositio *periodi simplicis* potissimum collocatione verborum perficitur. Videndum ne verba iaceant dissoluta et velut proiecta corporis membra: v. g.

Filius Dei tot et tantos cruciatos subire et ipsam mortem non dubitavit pro nostra salute.

Aptius: *Tot ac tantos cruciatus mortemque ipsam Dei Filius pro salute nostra subire non dubitavit.*

2. In compositione autem *periodi compositae* partes: vel simpliciter altera alteri annexae sunt per particulas, quas vocant copulativas: *et - et, non solum - sed etiam,*

aut - aut, etc., quibus plerumque membra vel incisa inter se connexa sunt ;

vel ita coniunctae sunt, ut altera ex altera pendeat. Haec arctior coniunctio, quae imprimis convenit protasi et apodosi, fit per particulas consecutivas : *postquam - tum, ut primum* - etc. ; relativas : *qui - is ; quantus - tantus* ; conditionales : *si, nisi ; non ideo - sed*, etc. ; concessivas : *etsi - tamen*, etc. ;

vel denique interiectione illigatae sunt. Sola tamen incisa, neque ea semper, interiiciuntur.

Ita autem periodi partes connectendae sunt, ut et aptissime cohaereant et tamen facile internoscantur.

Propositio primaria igitur in apodosi collocetur ; in protasi vero, id, quod ad eam amplificandam excogitatur, maxime si est conditio vel causa ; quae vero illustrandi gratia adduntur, potius innectantur, quam subsequantur.

In hoc tamen cavendum est plurimum, ne oratio implexa vel confusa fiat : singula potius membra et coniunctione verborum et collocatione sint discreta, maxime protasis et apodosis.

138. Varius sententiarum ordo in periodo.

In periodo varius omnino potest esse ordo sententiarum tum principalis, tum earum quae sunt illi vel coniunctae vel subiectae ; quem ordinem cum Nägelsbach et pluribus post eum, graphice exprimemus ita, ut sit principalis sententia *P*, coniuncta *C*, a principali pendentes *a, b, c*, et $a^1, a^2, a^3 ; b^1, b^2, b^3$ etc. quae pendent ab aliis pendentibus, hoc est primo, secundo, tertio gradu, etc. Itaque :

a) In periodo composita ex solis *P* et *a*, sic ordo variare potest (subductā lineā distinguimus principalem) :

a P : Libertas ut laetior esset, *proximi regis superbia fecerat* (Liv. II, 1) ;

P a : *Non potest iucunde vivi*, nisi cum virtute vivatur (Cic. Tusc. III, 21) ;

a P a : illorum *vides* quam niteat oratio (Cic. Fin. IV, 3, 5) ;

P a P : ego vos, quo pauca monerem, advocavi (SALL. Cat. 58) ;

P a P a : ac veteres quidem philosophi, in beatorum insulis, fingunt, qualis futura sit vita sapientium (CIC. Fin. V, 19, 53) ;

a P a P : quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari (CIC. Rep. I, 10, 15).

b) In periodo composita ex *P* et *a b*, variat ordo in has formas :

P a b P : T. Veturius et Sp. Postumius, cum iterum consules essent, quia pacem cum Sannitibus fecerant, dediti sunt iis (CIC. 3 Off. 30) ;

a P b : cum iterum consules essent, T. Venturius et Sp. Postumius dediti sunt Sannitibus, quia pacem cum iis fecerant ;

P a P b : T. Veturius et Sp. Postumius, cum iterum consules essent, dediti sunt Sannitibus, quia pacem cum iis fecerant ;

P a P b P : T. Veturius et Sp. Postumius, cum iterum consules essent, dediti sunt, quia pacem cum iis fecerant, Sannitibus ;

a b P : cum iterum consules essent, quia pacem cum Sannitibus fecerant, T. Veturius et Sp. Postumius dediti sunt iis ;

P a b : T. Veturius et Sp. Postumius dediti sunt Sannitibus, cum iterum consules essent, quia pacem cum iis fecerant.

c) In periodo autem, in qua duae sententiae subiectae dependeant altera ex altera ($a^1 a^2$), sic variat ordo :

$a^1 a^2 a^1 P$: si, cum Romam redieris, me invises, pergratus tibi ero ;

$a^1 a^2 P$: si me invises, cum Romam redieris, pergratus tibi ero ;

$P a^1 a^2 a^1 P$: tibi, si me, cum Romam redieris, invises, pergratus ero ;

$P a^1 a^2 P$: tibi, si me invises, cum Romam redieris, pergratus ero ;

$P a^1 a^2 a^1$: tibi pergratus ero si me, cum Romam redieris, invises ;

$P a^1 a^2$: *tibi pergratus ero* si me invises, cum Romam redieris ;

$a^2 a^1 P$: cum Romam redieris, si me invises, *pergratus tibi ero* ;

$P a^2 a^1$: *pergratus tibi ero* cum Romam redieris, si me invises ;
etc. etc.

d) Periodus denique, in qua a primaria sententia plures pendent ($a b c \dots$), a quibus rursus et aliae pendent ($a^1 a^2 a^3$, $b^1 b^2 b^3$, $c^1 c^2 c^3 \dots$), implexior est, et magnam requirit linguae peritiam, ut cum numero habeatur perspicuitas.

En prima periodus exordii orationis Pro Milone ($a^1 a^2 a^3 b^1 b^2 \beta^2 P c^1 c^2 c^1$) :

« *Etsi vereor, iudices (a^1), ne turpe sit (a^2), pro fortissimo viro dicere incipientem timere (a^3) minimeque deceat (b^1), cum T. Annius ipse magis de reipublicae salute quam de sua perturbetur (b^2), me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse (β^2 : subiectiva illius b^1), tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos (P), qui (c^1), quocumque inciderunt (c^2), consuetudinem fori et pristinum morem iudiciorum requirunt (c^1) ».*

139. Animadversiones, praesertim de sentiētiis relativis et demonstrativis mutuam rationem habentibus.

1. Cum sententia principalis et sententia dependens (formula $P a P$) commune elementum (subiectum vel obiectum, etc.) habent, hoc illis solet praeponi : v. g.

Agesilaus, cum ex Aegypto reverteretur, in morbum implicatus decessit (NEP. Ag. 8)

Demosthenem, quamquam omnes sunt admirati, tamen nemo assecutus est

Socrates, cum amici ex vinculis *eum* deducere vellent, mori maluit.

2. Si tamen sententia dependens est relativa, praecedit subiectum : v. g.

quod cum audivisset Caesar, maturat ab urbe proficisci.

3. Cum autem in periodo dantur duae sententiae mutuam rationem habentes seu *correlativae*, *demonstrativa* nempe et *relativa*, haec praecedit : v. g.

(*a b P*) *Quem* plane perditum aere alieno egentemque, si *eundem* nequam hominem cognorat, *hunc* in familiaritatem libentissime recipiebat (Cic. 2 *Phil.* 28)

(*a² a¹ P*) *Quae* nobis designatis consulibus timebatis, *ea* ne accidere possent, consilio meo ac ratione provisa sunt (Cic. *Lex Agr.* 2, 37)

Quarum laudum gloriam adamaris, *quibus* artibus eae laudes comparantur, in *iis* est elaborandum (Cic. 2 *Fam.* IV, 2).

140. Dissimilitudo latinae periodi cum nostra.

1. In latina periodo tam stricte cum principali sententia ligantur quae vario gradu dependent, relativae praesertim et participiales, ut verborum complexio sit denique perfecta cum his gaudeat virtutibus :

- a) maiore, quam nostra, *unitate* in partium *varietate* ;
- b) *perspicuitate* cogitationis, quae, in parva membra distributa, in varia quasi momenta ex ordine pronunciata intelligitur ;
- c) *concinnitate* seu symmetria membrorum et quoad magnitudinem et quoad congruentiam. Possunt enim coordinari per anaphoram seu parallelismum, vel inverti per chiasmum ;
- d) *harmonia* quadam seu *numero* oratorio, praesertim in orationis clausula.

Nos, contra, sententias sic disponimus ex ordine aliam post aliam per asyndeton vel eas coniunctione aliqua coniungentes, ut comprehensio non iam, sicuti latina, astricta sit et contexta, sed dissolutior et liberior.

2. Nec tantum singulas complexionis partes stricte inter se ligant latini scriptores, sed ipsas inter se complexiones. Quod quidem obtinent variis modis :

- a) per pronomina et adverbia relativa, quibus solae coniunctiones *quidem* et *tamen* succedere possunt ;
- b) per pronomina demonstrativa initio periodi posita ;

- c) per coniunctiones coordinativas: *nam, namque, enim, etenim, itaque, igitur, ergo, vero, enimvero, at, sed, sed enim, verum, verum enimvero, atque, ac, quidem, quodsi, quoniam, sed quoniam, tamen, attamen, etc.*, quas nos in nostris linguis saepe neglegimus;
- d) per *asyndeton* seu *dissolutionem*, demptis nempe coniunctionibus, cum
 vel nulla datur inter sententias ratio seu connexio
 (= *asyndeton proprium*);
 vel sententiarum vis per mutuam oppositionem sit efferenda (= *asyndeton improprium*).

Infra, ubi de orationis ornatu erit sermo, agemus et de concinnitate seu symmetria periodi, et de figuris periodi, et de numero periodico.

141. Ut compositam periodum scribamus et expolitione distinctam¹, opus est ex praeclaris auctoribus eligere periodos quae pulchriores visae fuerint, easque memoriae mandare ac saepe repetere. Iuvabit generatim, multum legere ex Cicerone et aliis optimis scriptoribus, ut periodorum varietas, nexus, numerus percipiatur. Tum propriam aliquam sententiam ad optimorum exemplorum instar exponere, idque plurimo et vario exercitio conari, donec intentum consequamur.

Vis autem periodi tota est in ipsa sententia et numero (de quo inferius); ad vim etiam facit tum aequalitas membrorum ex pari vel quasi pari syllabarum numero existens, tum oppositio, si membri unius verba verbis alterius opponuntur, vel relatione vel contrarietate vel utraque. Si aequalitas abest, praestat extrema membra longiora esse.

Enervant periodum verba superflua, membra redundantia, nimius particularum usus, vocabula quae, ubi maiorem vim vel gratiam habent, non collocantur. Summum vero studium in periodis pangendis hoc erit, ut quoniam plures sunt sententiae, quae princeps est, nec perturbetur mutatis casibus, et maxime eluceat: quare verba, incisa et membra, quae illam possunt obscurare, omnino sunt amputanda, vel subinde alia periodo concludenda.

Sed plura infra, ubi de ornatu ex artificio contexendae periodi.

¹ POLCARI, *op. cit.*, cap. III, § 2, p. 38.

PARS TERTIA

De ornatu orationis

CAPUT I

ORNATUS NATURA ET MATERIA

142. Quid sit ornatus in universum ¹.

Ornatus nomen praecipue cultum quemdam et apparatus significat, quo res non modo placet, sed ad omnem etiam usum egregie instructa est.

Ad ornatum igitur referuntur omnia, quibus in dicendo vel *suavitas* ad delectandum, vel *gravitas* ad permovendum efficitur.

Audiamus Ciceronem de re eleganter disserentem. « Faciles partes eae fuerunt duae, quas modo percucurri vel potius paene praeterii: latine loquendi planeque dicendi; reliquae sunt magnae, implicatae, variae, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiae continetur. Nemo enim umquam est oratorem, quod latine loqueretur, admiratus. Si est aliter, irridet; neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligerent quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset.

In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? *Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficiunt: id est, quod dico ornate* » (3 *De Or.* 14, 52-53).

143. Ornatus rerum.

Cum igitur ornatus ex rebus et verbis efflorescat, curae nobis erit, ut res suaves sint et graves, id est:

¹ KLEUTGEN, *op. cit.*, P. I, cap. II.

- a) ut argumentum seligamus minime *insuave*, aut, si id non possumus, ut tractatione, arcessitis iucundis, reddatur amoenius ;
- b) gravia autem cum illa sint, quibus hominum mentes acrius concitantur, liquet variam esse rerum gravitatem pro conditione personarum et temporum.

144. Verborum ornatus.

Verborum ornatus, in quo maxime artificium dicentis cernitur, non id modo efficit, ut vis et iucunditas, quae in rebus est, oratione eluceat, verum etiam ut illa, quae suoapte ingenio parum delectant, velut sapore quodam condita dulcescant.

Non enim sufficit esse in rebus gravitatem, appareat necesse est. Nihil aliud est autem gravis oratio, quam rei gravitas apte verbis declarata.

Hoc est, quod summi viri in eiusdem Ciceronis non modo orationibus, sed epistolis quoque et dialogis sunt semper admirati, nullum esse genus rerum tam exile et obvium, quin illius dicendi ratione suavitate quadam aspergeretur.

Quo etiam pertinet subtilis quaedam ratio imitandi. Quoniam enim artis opera non rebus modo ipsis, sed artificio etiam, quo res perhibentur, delectant ; hinc fit, ut saepe numero, non foeda quidem, sed obvia tamen et humilia, oratione ad vivum expressa, placeant.

Efficitur igitur in elocutione ornatus :

- 1) primum ex ipso genere et iunctura verborum ;
- 2) deinde ex nonnullis singularibus ornamentis, ut tropis, figuris, periodis ;
- 3) postremo ex quibusdam stili proprietatibus, ut varietate et copia :

quae singula propriis praeceptis illustremus.

CAPUT II

DE ORNATU EX IPSO GENERE ET DELECTU VERBORUM SIMPLICIUM

Art. I. EX VERBIS PROPRIIS, NOVATIS, INUSITATIS

145. Ornatus ex verbis propriis habitus.

« In verborum genere priorum » — in quo potissimum omne ornatus fundamentum consistit — « delectus est habendus quidam atque is aurium quodam iudicio ponderandus est ; in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum ». « In propriis igitur est verbis illa laus oratoris, ut abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur » (Cic. 3 *De Or.*, 37, 150, 149).

Natura enim ipsa sunt alia verba consonantiora, graviora, leviora et quodammodo nitidiora, alia contra. Ac *graviora* quidem :

a) imprimis sunt illa, quae in eodem genere plus significant : v. g.

« Nactus es ex *perditis* [plus est quam « pravis » atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe *derelectis* [fortius quam « destitutis »] conflata *improborum* [plus quam « malorum »] manum » (Cic. 1 *Cat.* 40).

Hoc autem genus crescit et fit manifestius, si ampliora verba cum ipsis nominibus, pro quibus ea posituri sumus, conferantur : v. g.

« *Non enim furem, sed ereptorem ; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae ; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque ; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum iudicium adduximus* » (Cic. 1 *Verr.* 3).

- b) Multa vocabula inde quoque graviora sunt, quod, praeter rei communem naturam, singulare aliquid exprimunt, seu ut nos loquimur, primariae ideae secundaria addunt : v. g.
 sanguine *foedare*, pro sanguine madefacere ;
libido, pro voluptate ;
 fugam *maturare*, *capessere*, pro fugam petere, capere, facere.

146. Ornatus ex verbis novatis et inusitatis.

« Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator adferat ad illustrandam atque exornandam orationem : aut *inusitatum* verbum aut *novatum* aut *translatum* » (CIC. 3 *De Or.* 152).

Haec tamen, praesertim duo priora, raro sunt adhibenda in soluta oratione, ut vidimus iam agentes de verbis novatis, vetustis, poëticis. Videas etiam quae infra (n. 188) dicemus, ubi, de stili proprietate quae est « novitas ».

147. Verba inhonesta ad ornatum reicienda.

Huiusmodi sunt verba *sordida*, quae nempe res notant immundas et stercutio sunt relinquenda ; et *obscoena*, quae res Veneris nudis enuntiant vocabulis.

« Cum hae voces aequae latinae sint, immo scriptores romani παρ' ἀντονομασίαν per *verba latina* intelligant obscena, tamquam quibus latina sive romana insit simplicitas : profecto non tam qui his utitur contra latinitatem, quam bonos mores peccat : neque tam imperitiam detegit sermonis romani, quam animi impuritatem. Quare, qui hostis naturae non est, is aut in totum istis abstinebit, aut si qua est rei enuntiandae necessitas, eam potius verborum teget involucri, naturam hac in parte imitans, quae partes obscenas maxime ab oculis removet »¹.

¹ VOSSIUS, *Partit. Oratoriae*, lib. IV, cap. I, nn. XXX-XXXIII.

Art. II. ORNATUS EX VERBIS TRANSLATIS

§ 1. *De Tropis* (Q^T. VIII, 6)

148. Troporum natura et usus.

1. Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute (id est, ut ex illa aliquid vel gratiae vel luminis vel ponderis orationi accedat) immutatio (Cic. *Br.* 17 ; *Or.* 27) :

v. g. *florere* dicitur proprie de plantis, et translate de hominis aetate, laude, virtute.

Nos hic agimus de mutatione *verborum* seu de tropis simplicibus, non de mutatione *sermonis* seu de tropis complexis, de quibus infra ubi de ornatu in verbis coniunctis.

2. *De troporum usu* autem praecipitur ut

a) *ne sint otiosi*, ut sunt qui ad propositum dicentis nihil aut non plus conferunt, quam propria ;

b) *ne longius arcessiti*, quippe qui nunc obscuri sunt, nunc propter duritiem et audaciam insuaves.

Molliri certe potest translatio quae durior videatur, addito verbo proprio, vel comparatione facta : v. g. « Quae Carybdis tam vorax » (Cic.), vel interposito verbo « *ut ita dicam, quasi, velut* », etc. : at cave ne saepius id facias ; friget enim oratio (cfr. Cic. 3 *De Or.* 165) ;

c) *ne frequentiores*, saltem si audaces, si arguti fuerint ; satietatem enim afferunt, et solutam quidem orationem maxime dedecent ;

d) *ne dedeceant* dissentiendo :

1) vel rei, ut si ad rem ornandam a viliori nomen mutuaris et vicissim, si quaevis alta et humilia misceas, si nomen traducas a re nimiae foeditatis (3 *De Or.* 41) ;

2) vel ipsi generi orationis ; nonnulli enim tropi solis poëtis permittuntur. Generatim maior in tropis audacia et frequentia poëmati quam orationi convenit, orationi quam historiae, historiae quam dialogo vel epistolae.

149. Metaphora (3 *De Or.* 155-168) est tropus simplex, quo vocabula rerum similium permutantur. Hic tropus frequentissimus est et longe pulcherrimus, cum et copiam sermonis augeat, et decori consulat, nitorem denique adferat et vim, nam « ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum » (3 *De Or.* 40).

Vel ex paucis exemplis allatis n. 131 cerni facile potest quomodo metaphora lexicon pervadat totum. Frequentior est autem metaphora in verbis quam in nominibus, et quidem in verbis quae *motum* indicant ac praesertim quae *decurrere, fluere, fundere*, etc. significant; praeterea frequenter sumitur a condicionibus *corporis*, a notionibus *florendi, ardendi*; et possunt plures fluere continuae (*Or.* 94). Non tamen videntur nec frequentius nec audacius quam in nostris linguis adhiberi (ut vult Nägelsbach), in quibus eiusmodi usus ex plurimis novis inventis excrescit in dies.

Plurimae tamen metaphorae linguae latinae (sicuti etiam nostrarum linguarum), fere nimio usu detritae, metaphoricam significationem ita amiserunt, ut locutiones communes factae sint.

Optimos secuti scriptores latinos, eas translationes usurpabimus, quae nec nimis erunt audaces nec poëticae (ut argentea aetate factum est), quaeque latini sermonis ingenium et quasi colorem retinent. Non semper enim eadem sunt in utraque lingua, non semper eadem frequentia adhibentur. Novae ex analogia cum aliis formentur, et qui vertit vel componit latine, imprudenter vocabula metaphorice non usurpet, quae antea veteres scriptores translate non usurpaverint. Qua de re lexicon consulatur.

150. Synecdoche seu « comprehensio » est tropus simplex quo permutantur nomina earum rerum, quarum una ad alteram aliqua ratione refertur :

- a) ut pars ad totum et vicissim : v. g. *tectum* vel *limen* pro domo ; *fons* vel *flumen* pro aqua ex illo hausta, etc.;
- b) ut singularis numerus ad pluralem : v. g. *Romanus* proelio victor ; *Lucanus* a nobis defecit, etc. ;
- c) ut individuum vel species ad genus et vicissim : v. g. *Hercules* pro viro forti ; *pinus* pro arbore ; *ignes* pro stellis ; *armenta* pro bobus, etc. ;

- d) ut materia ad rem ex illa factam : v. g. *pinus* pro navi ;
ferrum pro gladio, etc.

151. *Metonymia* seu latine « denominatio » tropus est quo permutantur vocabula rerum.

Habetur praesertim :

- a) cum causae pro effectis, vel effecta pro causis dicuntur :
 v. g. legere *Platonem*, *Virgilium*, pro eorum scripta
lux pro die
flamma pro calore
scelus pro scelerato ;
- b) cum continens pro contento ponitur :
 v. g. *Athenae* inventrices doctrinarum (CIC.)
spumans patera (VIRG.)
 testis est *Italia* ..., testis est *Sicilia* (CIC. *Leg. Man.*)
- c) cum signum pro signato usurpatur :
 v. g. cedant arma *togae* = paci (CIC.)
fascēs pro magistratibus (VIRG.)
laurus vel *trophaeum* pro victoria
cothurnus pro tragodia
taedae pro nuptiis.

152. *Antonomasia*, quae pro nomine proprio ponit aliquid, quo res vel persona insignis et clara est :

- v. g. *terror Italiae* = Hannibal
eversor Carthagini = Scipio
senex Pylius = Nestor ; etc.

Ironia seu « dissimulatio, illusio, diversiloquium » (QT.), tropus est quo verbum vel sermo a propria in contrariam significationem traducitur vel sola pronuntiatione vel persona vel rei natura vel denique adiecto aliquo vocabulo :
 v. g. Cicero appellat Verrem *hominem sanctum ac diligentem, bonum custodem defensoremque provinciae*
O praeclarum pastorem ovium lupum !
Scilicet is Superum labor.

153. *Hyperbole* est decens veri superlatio ; qua recte utimur, si in re non vulgari (sed naturalem modum excedens) cum

animorum motu (secus non est naturalis) versatur oratio ;
 v. g. *metu exanimari*
diffluere lacrymis
nive candidior, luce clarius, etc.

Si quae autem hyperbolae nimio plus durae videantur, eae temperentur oportet particulis *instar, prope, fere, quasi, etc.*

Litotes est qua ut aliquid affirmetur, negatur contrarium:
 v. g. *non parvus* = magnus
non invitus = libenter
haudquaquam spernendus auctor = egregius
non ignorare = optime scire
nemo est qui non videat = omnes vident
haud facile captu = difficile captu, etc.

§ 2. De figuris (Qt. IX, 1)

154. Figurarum natura et divisio.

1. Figura est forma quaedam orationis a communi loquendi modo cum virtute mutata.

Dum ergo tropus, ut novum decorem orationi afferat, a simplici ratione loquendi recedit, immutando sensum verborum, figura recedit mutando formam et quasi habitum sermonis, manente propria significatione verborum.

2. Dividuntur figurae in figuras verborum, et sententiarum: inter quas hoc interest, quod figura verborum plerumque tollitur, si verba aut eorum ordinem mutaris; figura vero sententiarum permanet, quibuscumque verbis uti velis, et quocumque ordine dispositis.

Peculiare figuris robur inest, non ad illustrandam modo orationem, sed praecipue etiam ad delectandum, docendum et commovendum. Praecipuas damus:

A). *Figurae verborum*

155. Figurae ex verbi alicuius detractione ortae.

1. *Asyndeton* seu latine *dissolutio*, quae sermonis demit coniunctiones; id quod ad emphasim confert, atque expe-

ditum concitatumque efficit dicendi genus :
v. g. « Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros »

(*Aen.* IX, 37)

2. *Ellipsis* seu latine *detractio*, est verbi praetermissio in sententiis simplicibus vel proverbiiis ubi facile subintelligitur :

v. g. Quot homines tot sententiae (= sunt)
Sed quid vetera ? (= commemoro)
Hasdrubal Gisgonis (= *filius*) ; Caecilia Metelli (= *filia*)
De hoc alias ; quid multa ? (= *dicam*)
Quorsus haec ? (= *pertinent*)
Quid mihi cum hac re ? (= *negotium est*)
Bene te (= *valere iubeo*)
Di meliora (= *dent, duint*)
ad Apollinis (= *aedem, templum*) (*Cic. Fam.* 8, 4)
solvendo non erat (= *par*) (*Cic. Att.* XII, 10).

156. Figurae ex verbi alicuius adiectione ortae.

1. *Pleonasmus*, ellipsi e regione oppositus, enascitur e supervacanei alicuius verbi additione, quo eadem notio nova forma exprimitur :

v. g. Sic ore locuta est (*Aen.* I, 618)
ante providere ; *saepius* dictitare
postridie eius diei (CAES.)
magis praestare
date mihi hanc veniam ut patiamini me dicere ... (*Cic.*)
etc.

2. *Polysyndeton*, quo sermo pluribus, quam opus est, coniunctionibus, aut iisdem aut diversis, colligitur ; quod praecipue praestat, ut quae dicuntur, multo plura et maiora, quam reapse sint, esse videantur :

v. g. Me prae ceteris *et* colit *et* observat *et* diligit (*Cic.*)
Neque privati quidquam, *neque* publici, *neque* profani,
neque sacri in Sicilia reliquisse (*Cic.*).

157. Figurae ex verbi alicuius repetitione ortae.

1. *Anaphora* seu *repetitio*, qua vox eadem in principiis singulorum membrorum repetitur, et sic multum vehementiae et gravitatis affert:

v. g. *Verres* calumniatores opponebat; *Verres* adesse iubebat; *Verres* iudicabat (II *Verr.* 10)

Pleni omnes sunt libri, *plena* sapientum voces, *plena* exemplorum vetustas (*Pro Arch.* 6; cfr. *Cic.* 1 *Cat.* c. 1, 1).

2. *Synonymia* seu *congeries* seu plurium vocabulorum ferme idem significantium coacervatio:

v. g. Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furem audacia ... ex urbe vel *ieicimus* vel *emisimus* vel *ipsum* egredientem urbe *prosecuti sumus*. *Abiit*, *excessit*, *evasit*, *erupit* (*Cic.* 2 *Cat.* 1).

3. *Expolitio* seu « una in re commoratio » (*Cic.*) id facit sententiis, quod synonymia verbis; i. e. rem eandem aliis et aliis sententiis explicat, ut ita in omnes quasi facies versata, prorsus pateat et altius in mentem descendat:

v. g. *Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos vocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?» (1 *Cat.* 1).*

Sed fugienda sunt duo vitia his duobus figuris vicina, *verbositas* seu verborum inutilis cumulatio, et *tautologia* quae saepius idem dicit sine ratione et virtute.

4. *Epistrophe* seu *conversio* habetur quando repetitio eiusdem vocabuli fit in clausulis:

v. g. *Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis praefuit?*

Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit? Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus» (CIC. *De Leg. Agr. contra Rullum*, 9).

5. *Complexio* (συμπλοκή) epistrophen et anaphoram complectitur; repetitio enim eiusdem verbi in principiis fit et in clausulis:

v. g. «*Quem senatus damnarit, quem populus Romanus damnarit, quem omnium aestimatio damnarit, eum vos sententiis vestris absolvitis?*» (*Rhet. ad Her.* IV, 14).

Hanc non ferme nisi interrogando adhibent oratores. Vide etiam exemplum allatum sub *Epistrophe*.

6. *Geminatio* vel *conduplicatio*, species repetitionis, verba geminat:

v. g. *vos, vos* appello, fortissimi viri (CIC. *Mil.* 3)

Errabas, Verres, et vehementer errabas (*De Suppl.* 46)

Hic tamen vivit; vivit? immo vero etiam in senatum venit (CIC. 1 *Cat.* 1)

Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus ...

Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit? (VIRG. *Ecl.* 2)

Nunc nunc insurgite remis, Hectorei socii (VIRG. *Aen.* 5).

7. *Gradatio*: hodie vocatur omnis oratio quae a minimo incipiens rem significantioribus usque verbis exponit, ut illius gravitatem per gradus quosdam capiamus; aut ad minimum per minora descendit:

v. g. «*Nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit*» (CIC. 1 *Cat.* 2)

«*Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed non videam planeque sentiam*» (CIC. 1 *Cat.* 3)

«*Miserum est exturbari fortunis omnibus; miserius est iniuria. Acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius a propinquo. Calamitosum est bonis everti; calamitosius cum dedecore. Funestum est ...*» (CIC. *Pro Quint.* 31).

Haec figura, quae obvia est, apertam habet artem et magis adfectatam; quare debet esse rarior.

158. Figurae e verbi alicuius similitudine ortae.

1. *Paronomasia* seu *annominatio* : quae vocabula sono similia, sensu dissimilia iungit :

v. g. Consul ipse *parvo* animo et *pravo* (CIC.)

Facie magis quam *facetiis* ridiculus (CIC.).

2. *Similiter cadens*, oratio est in qua plura iisdem casibus, temporibus, etc. (non tamen iisdem sonis vel numeris) efferuntur :

v. g. *Quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis* ? (CIC.).

3. *Similiter desinens*, est oratio cuius membra similes exitus habent :

v. g. *Eiusdem non est, et facere fortiter et vivere turpiter*.

159. Nonnullae aliae figurae.

1. *Chiasmus* : habetur cum binae voces binis vocibus opponuntur ita, ut in altero membro adverso ordine coniungantur : a littera χ , quae crucis formam quodammodo refert :

v. g. *Fragile corpus animus sempiternus movet* (CIC. *Rep.* VI, 24)

Ratio enim nostra consentit, pugnat *oratio* (CIC. *Fin.* III, 3, 10).

Haec autem figura frequens quoque est inter membra eiusdem periodi :

v. g. Si gladium quis apud te *sana mente* deposuerit, repetat *insanus, reddere* peccatum sit, officium *non reddere* (CIC. 3 *Off.* 95).

2. *Adiunctio* est cum ad unum verbum quod vel praecedit vel subsequitur, sententiae plures referuntur :

v. g. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amen-
tia* (CIC. *Pro Cluent.* 6)

Nec enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore *avocarit* (CIC. 1 *Cat.* 9).

3. *Disiunctio* e contrario, incisa plura pluribus verbis claudit, cum sufficiat unum :

v. g. Tot annos ita vivo, ut ab nullius me unquam tempore aut commodum aut otium meum *abstraxerit*, aut voluptas *avocarit*, aut denique somnus *retardarit* (Cic. *Arch.* 6).

B). *Figurae sententiarum*

160. 1. *Exclamatio* est vocis elatio seu contentio, qua in magna vel admiratione vel indignatione, animi motus promimus, praecipue vehementiores, et rei significamus magnitudinem :

v. g. O nomen dulce libertatis ! o ius eximium nostrae civitatis ! o lex Porcia legesque Semproniae ! o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas ! ... (Cic. *De Suppl.* 63).

Usus moderatus sit ; tantum enim movet exclamatio, quantum eum, qui dicit, vere et pro rei natura motum esse ostendit.

2. *Correctio*, qua sententiam aut vocem a nobis prolatam retractamus ac veluti corrigimus, quia melius aliquid mens et affectus suggerit :

v. g. *O stultitia ! stultitiam ne dicam an impudentiam singularem !* (Cic. *Pro Cael.*)

Catilina tamen vivit ! vivit ? immo vero etiam in Senatum venit, fit ... (Cic. 1 *Cat.* 1)

Quae fuit igitur unquam in ullo homine tanta constantia ? constantiam dico ? nescio an melius patientiam possem dicere (Cic. *Pro Lig.* 9).

3. *Interrogatio*, quae non sciscitandi gratia assumitur, sed urgendi exprimendique affectum. Vide 1 *Cat.* 1 (*supra*, n. 157, 3) :

v. g. *Tantae virtuti quae potest oratio par inveniri ?* (pro : nulla oratio par ...).

4. *Percontatio* vel *subiectio* cum interrogationi adiungitur responsio :

v. g. *Quid tam novum, quam adolescentulum privatum exercitum difficili Reipublicae tempore conficere? confecit: huic praeesse? praefuit; rem optime ductu suo gerere? gessit, etc.* (CIC. *Pro L. Man.* 21).

5. *Dubitativa* qua simulamus quaerere nos, quid potissimum aut quomodo dicendum, unde incipiendum, ubi desinendum sit; et hoc imprimis ad excitandam attentionem:

v. g. *Quid nunc agam? cum iam tot horas de uno genere ac de istius nefaria crudelitate dicam ...; quemadmodum de tanta re dicam? Opinor, unus modus atque una ratio est. Rem in medio ponam, quae tantum habet ipsa gravitatis, ut ...* (CIC. *De Suppl.* 61).

161. 6. *Reticentia* seu *aposiopesis* est repentina sermonis interruptio, qua aliquid, quod orationis series postulat, tacetur et audienti cogitandum relinquitur:

v. g. *O incredibilem celeritatem (Caesaris)! Huius autem nostri (Pompeii) ... sed non possum accusare eum, de quo angor et crucior* (CIC. *Att.* VII, 22).

7. *Praeteritio* seu *paralepsis* est, dum dicere nolle fingimus, quae tamen vel maxime dicimus, animos reddendo attentissimos in illa pauca, quae dicimus:

v. g. *At illud tenebrosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere: licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudine obscuritate et sordibus tuis obtegatur* (CIC. *in Vat.* 5).

Aliae formulae: *nihil attinet dicere ... non est necessarium commemorare ... ut plura non dicam ...; ut omittam ...; ut silentio praeteream ...; quid plura dicam? ...*

8. *Praeoccupatio* seu *praesumptio* seu *prolepsis* per quam quod obiici possit, praeventimus, ultroque rationem facti cuiuspiam vel dicti reddimus:

v. g. *Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc homine delectamur? quia suppeditat nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant* (CIC. *Arch.* 6).

Consuetae formulae sunt hae : *fortasse dicis ; dicet quispiam ; forsitan quispiam dixerit ; hic quaerat quispiam*, etc.

9. *Concessio* cum quidpiam, licet ab aequitate alienum, elargimur, ut reliquum obtineamus :

v. g. *Esto, parricidii causam proferre non potes ; tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus huius innocentia. Non quaero abs te quare patrem Sext. Roscius occiderit : quaero, quomodo occiderit* (CIC. *Pro Rosc. Amer.* 27).

Affinis est *fictio*, quae plerumque introducit per « *fac, faciamus, finge, fingamus* », etc. :

v. g. *Faciamus animum sic interire ut corpus ; num igitur sensus est in corpore ?* (CIC. *Tusc.* I, 82)

Fac, ut isti volunt, animos non remanere post mortem ... (CIC. *ibid.*).

162. 10. *Apostrophe* est, cum eos alloquimur, ad quos instituta oratio non dirigitur, v. g. accusatorem, reum, Deum, superos, mortuos, urbes, patriam, res inanimatas. Grave quidem genus et vehemens, sed rarius adhibendum :

v. g. *O nationes, urbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, testes Cn. Pompeii non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace ; vos denique mutae regiones imploro, et sola terrarum ultimarum, vos maria, portus, insulae, litoraue. Quae est enim ora, quae sedes, qui locus in quo non existent huius cum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia ?* (CIC. *Pro Balb.* 5).

11. *Prosopopoeia* seu *personificatio* seu « *ficta personae inductio* » (3 *De Or.* 53), per quam vel mortuis, quasi adsint, vel rebus inanimatis tanquam anima sensuque praeditis tribuitur oratio :

v. g. *Patria tecum, Catilina, sic agit et quodammodo tacita loquitur : Nullum aliquot iam annis facinus exstitit, nisi per te ; nullum flagitium sine te ; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera*, etc. (CIC. 1 *Cat.* 7).

12. *Hypotyposis*, seu alicuius rei tam apta descriptio, ut illa cerni potius et geri, quam audiri vel narrari videatur. Valet autem non solum ad confirmandum, sed etiam ad effectus ciendos :

v. g. *Ipse inflammatus scelere et furore, in forum venit. Ardebant oculi : toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes, quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset : cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem esse Romanum ...* (CIC. *Act. II in Verr.* V, 62).

163. 13. *Antithesis* seu *contrapositum*, quo verba verbis vel sententiae sententiis opponuntur :

v. g. *Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris [Verris] adventum cum illius imperatoris [Marcelli] victoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu invicto ; huius libidines cum illius continentia ; ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas ...* (CIC. *De Sign.* 52).

14. *Anacoluthon* (ἀν privat. et ἀκολουθέω sequor) est oratio in qua constructio incepta aut abrumpitur aut non absolvitur :

v. g. *Ceterae philosophorum disciplinae, omnino aliā magis aliā sed tamen omnes, quae rem ullam virtutis expertem aut in bonis aut in malis numerent, eas non modo nihil adiuuvare arbitror neque confirmare quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam* (CIC. *Fin.* V, 11).

Species anacoluthi est *interiectio* seu *parenthesis*, quae aliquid a re, qua de agitur, plane alienum, vel etiam ad eam spectans ut causa aliqua aut circumstantia, elegantius infert orationi, quam si idem alio reiceretur :

v. g. *Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices — utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis — quoties ego hunc vidi ...* (CIC. *Arch.* 8).

164. De troporum et figurarum usu.

1. « Est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio, sententiarum atque verborum » (CIC. 3 *De Or.* 52). Gravissimus est igitur earum usus, quoniam rebus et vim conferunt, orationem quasi actuosam reddendo, et gratiam praestant, nam eādem illa re et excitant mentem et varietate levant fastidium.

2. Sed hanc utilitatem ut consequamur, sunt haec observanda (QT. IX, 3) :

- a) sententia subsit idonea et verus animi motus, ne habitum gestumque quaeramus sine corpore.
- b) Ne figurae quidem, quae recte fiunt, densandae sunt nimis ne turgeat stilus ; neque multum in certa quadam figura immorandum est.
- c) Quo minus tamen artificiosae et a simplici ratione deflectae fuerint, eo crebrius usurpari poterunt (consuetas enim aures minus feriunt, tam sunt usu receptae).
- d) Naturales sint, ita ut non solum in rem et locum conveniant, sed etiam obviae fuisse dicenti, non conquisitae aut multa arte formatae esse videantur (cfr. *Br.* 37).
- e) Figurae cum sermone proprio misceantur ; orationis enim pulchritudo atque vigor ex apto figurarum et troporum cum proprio sermone temperamento maxime dependet.
- f) Saepe denique plures figurae uno in loco magna virtute miscentur.

3. *Optimus autem figurarum usus discitur* imprimis assidua exercitatione legendi, interpretandi, imitandi optimos scriptores.

Art. III. DE NONNULLIS ALIIS ORNAMENTIS

165. *Similitudo* : est duarum rerum disparium in eo, in quo congruunt, comparatio ; ut vel quod minus patet ex notiori illustretur ; vel res corpore carens sensili vestiatur imagine :

v. g. *Nam ut tempestates saepe certo aliquo caeli signo commoventur, saepe improviso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur : sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas quo signo commota sit, saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur* (CIC. *Pro Mur.* 17).

Rem explicat et ornat, iucundam faciens orationem et mirabilem.

Nunc paucis verbis perficitur, nunc exponitur latius ; nunc rem praecedit, nunc ei subiicitur ; est interdum libera et separata, interdum cum re, cuius est imago, connectitur, collatione invicem respondente.

Debet autem esse :

vera, id est, res comparatae, in eo in quo comparantur, convenire debent ;

decora, ut rei conveniat et generi orationis ;

perspicua seu intellectu facilis, ad quod requiritur ut res, a qua ducitur simile, nota sit, et eius similitudo cum re, cui confertur, pateat ;

illustris, quae minime vulgaris, rem praeclare illuminat et augeat.

166. *Sententia* (QT. VIII, 5) : est grave, sed simplex (ut cui nec probatio nec illustratio addatur) de hominum vita (quia ostendit quid sit aut quid esse oporteat in vita) in universum (non de certis rebus aut personis) effatum :

v. g. *Dulce et decorum est pro patria mori.*

Proprius autem sententiarum locus in clausulis est, ut oratio in hac gravitate veluti consistat ; talis est epiphonema :

v. g. « *Tantae molis erat, Romanam condere gentem !* » (*Aen.* I, 37).

Tamen etiam initium ab iis non raro ducitur :

v. g. *Omnes homines, Patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet* (SALL. *Cat.* 51).

Elocutio plerumque recta et simplex sit ; at nonnumquam maiorem vim accipit commutatione figurae, ut :

Usque adeone mori miserum est ?

Ac tandem quoad *eius usum* : sententiae graves et incorruptae orationi dignitatem conferunt et gratiam cum imprimis ad conciliandos animos prosint ; sed cavendum ne crebriores sint : cum enim veluti eloquentiae oculi sint, non debent toto corpore esse, ne cetera membra suum officium perdant. Vix autem decent nisi aetate provectos.

167. *Epitheta* : seu adiectiva, participia et substantiva nominibus per modum adiectivi apposita.

1. Dividuntur :

- a) *ex usu* quem habent ; nam serviunt vel *necessitati*, ut « *malum facinus ; improbus homo* », etc.; vel *ornatui*; et haec rursus afferunt vel delectationem, ut *flos purpureus, laetae segetes* ; vel vim, ut *detestabile factum, execrabilis homo* ;
- b) *ex sede* a qua petuntur ; sumuntur enim aut a rei natura et necessariis vel consuetis proprietatibus : propria descriptionis et delectationis poëticae : v. g. *Molli paulatim flavescet campus arista, Incultisque rubens pendebit sentibus uva, Et durae quercus sudabunt roscida mella.*

(VIRG. *Ecl.* IV, 28 sqq.) ;

aut ab illis, quae cum re coniuncta sunt, et maxime a praesente eius fortuna et condicione sumuntur. Haec potius ad animorum motus accomodata sunt :

v. g. *Arma diu senior dissueta trementibus aevo circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.*

(VIRG. *Aen.* II, 509 sqq.)

2. Utriusque generis *vis* mirum in modum *crescit* troporum usu, ut *cupiditates effrenatae, insanae substructiones* ; et felici quadam iunctura, ut *silentium eloquens, dulcis labor, viridis senectus*.

3. *Usus* autem epithetorum apud poëtas et liberior et frequentior est quam apud oratores. Itaque nonnulla decent solutam orationem ; cetera si frequentiora sunt, poëticum morem ostendunt.

Plerumque nomini uni unum tantum epitheton additur, nisi singularis ratio multa conglobare suadeat :

v. g. « *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
[ademptum]* » (*Aen.* 3, 658).

4. Quoad *collocationem* latini quoque poëtae epitheta plerumque ante substantiva collocant, sed ab iis separant, aliis interpositis ; quodsi interdum postponunt, ad finem tamen non reiciunt, nisi admodum gravia. Amant etiam duo diversorum nominum epitheta iungere :

v. g. *Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens, et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis.*

(*VIRG. Georg.* I, 476 sqq.)

168. Transitio : est orationis quidam nexus, quo fit ut apte copulata inter se illius membra concinne cohaereant, et unum quasi corpus efficiant.

Est *perfecta* si breviter monemus quid dictum sit et quid dicendum restet ; *imperfecta* si tantum quae dicturi sumus, breviter proponit :

v. g. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca
dicam* (*CIC., Pro Leg. Man.* 8)

*Age nunc illa videamus, iudices, quae statim consecuta
sunt* (*CIC. Pro Rosc. Am.* 36).

Videndum autem maxime ut transitus sint faciles et naturales, nec omnes unius coloris.

Damus ex Cicerone exempla quaedam selecta, non ut ad verbum in propriis scriptis excribantur, sed ut paulatim, imitando, nostras transitiones faciliter conficiamus :

*Satis mihi multa verba fecisse videor quare hoc bellum esse
necessarium ... Restat ut de imperatore ad id bellum de-
ligendo ... dicendum esse videatur*

*Satis multa de turpitudine ; dicam deinceps, quod proposui,
de periculo*

*Sed iam satis multa de causa : extra causam etiam minus
fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos,
iudices ...?*

De exordio satis dictum est ; deinceps ad narrationem transeamus

Sed nimis multa de nugis : ad maiora veniamus
Sed haec robustioris improbitatis scelera omittamus ; loquamur
potius de ...
Sed quoniam emersisse iam e vadis et scopulos praetervecta
videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus osten-
ditur
Sed arrogantiam hominis insolentiamque cognoscite
Sinite me illa minora ac quotidiana praetermittere
Sed quid ego longinqua commemoro ?
Verum haec missa facio ; illud quaero ...
Nolo in hac re multus videri
Quod ad definitiones hactenus ; reliqua videamus
De statutis diebus dixi ; nunc de annalibus dicam
Haec de hero ; quod sequitur de pecore
Uni epistolae respondi ; venio ad alteram
Ad eius tribunatum, qui ad sese iamdudum ... absorbet oratio-
nem meam, contento studio cursuque veniamus
Illud tamen, quamquam ad exitum festinet oratio, praetermit-
tere nullo modo possum
Tempus est ad ceteras partes orationis proficisci ; deinceps
igitur de dispositione dicemus
Sed, ut omisso principio, rem ipsam aggrediamur ... (SENECA)
Audistis gravissima ; audiatis nunc graviora
Postularet hic locus ut dicerem de ...
Restat ut dicam ... ; nunc vero superest ...
Age vero explicemus nunc ...
His adde ... ; accedit his ... ; huc accedit quod ... ; huc vel eo-
*dem pertinet ...*¹
 etc.

¹ DE COLONIA, *De arte rhetorica*, lib. I, c. V, § IV.

CAPUT III

DE ORNATU EX CONIUNCTIONE VERBORUM

Art. I. ORNATUS EX APTA COLLOCATIONE VERBORUM SEU EX ARTIFICIO CONTEXENDAE SENTEN- TIAE ET PERIODI

169. Sermonis facilitas et gravitas ex verbis bene iunctis.

Agentes de perspicuitate in verbis coniunctis (n. 133 sqq.), vidimus qui sit aptus et lucidus ordo tum verborum in sententiis, tum sententiarum in periodo. Qui ordo non modo ad orationis perspicuitatem, sed etiam ad eius ornatum plurimum confert. Ex optima enim verborum iunctura et collocatione enascitur magna ex parte illa dicendi

- a) tum *facilitas*, qua nihil in oratione suavius invenitur. Facilis est oratio « si non vi dura protrudi, sed, velut ipsa agente natura, fundi leniter videatur, in qua igitur non solum nihil est perturbatum, quod sensum obscurare possit, sed nec quidquam distortum aut violentum, asperum nihil, nihil, ut ita dicam, salebrosum »¹. Conferas, v. g. Catonis asperitatem cum lenitate Ciceronis in lib. XV *Ep. Fam.*, ep. 5-6 ;
- b) tum *gravitas* quae saepe efficitur, si ea, quae vim habent maiorem, immutata nonnihil coniunctione verborum, quasi in luce posita notantur ; exempli causa :
 - 1) primariis sententiis enuntiando quae secundariis exprimi solent, ut causae, conditio, tempus : v. g. *Rogavi te, abnuisti ; obsecravi, contempsisti ; supplex manus tetendi, reiecisti* (pro : cum rogarem ...)

¹ KLEUTGEN, *Ars Dicendi*, P. I, cap. III, art. II.

Pacem vult Antonius : arma ponat (pro : *Si pacem vult ...*) ;

- 2) extra orationis contextum collocando vocabulum in quo maior vis lateat : v. g.

Una eademque nox erat, qua praetor amoris turpissimi flamma ac classis populi Romani praedonum incendio conflagrabant (CIC. *De Suppl.* 35).

170. Sermonis ornatus ex ordine oratorio.

1. Praeterea vim sermonis multum auget verborum collocatio, in qua *triplex ordo* distinguitur :

- a) *grammaticus*, qui tantum in scholis adhibetur ut ratio explicetur quae inter vocabula eiusdem sententiae intercedit :

v. g. « *Catilina, oportebat te duci ad mortem iam pridem iussu Consulis* » ;

- b) *vulgaris*, quem communiter servamus, cum nullam orationis partem singulari modo notare volumus :

v. g. « *Catilina, iam pridem te iussu consulis ad mortem duci oportebat* » ;

- c) *oratorius* seu *rhetoricus*, qui dicitur etiam *inversus* sive *inversio*, cum a vulgari ordine gravitatis causa deflectimus :

v. g. « *Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat* » (CIC. 1 *Cat.* 1).

2. *Inversio* igitur seu *ordo oratorius* vocabula, in quibus maior est vis, eo loco, ubi maxime notantur, collocat, quoad tamen natura linguae permittat. Porro hic locus plerumque initium, saepe etiam finis est sententiae :

v. g. « *Me duce carpe viam* » (OVID.)

Metrum adest etiam in « *carpe viam duce me* », sed quanto id infirmius !

« *Ut tibi necesse esset in conspectu populi romani vomere postridie* » (CIC.).

Si in duobus verbis aut in duabus iunctis sententiis vis maior inest, saepe alterum in principio, alterum in exitu orationis ponitur :

v. g. « *Caedebatur virgis in foro Messanae civis romanus* »
(CIC. *De Suppl.* 62)

« *Evolarat iam e conspectu fere fugiens quadriremis,
cum etiam tunc ceterae naves suo in loco molie-
bantur* » (CIC. *De Suppl.* 34).

Ordo praeterea oratorius non quascumque, sed illas peculiares mutationes respicit, quae, decoris et ornatus gratia, cogitationum nexu, vi ac robore sententiarum, numero denique et concinnitate elocutionis definiuntur. Oratio enim fit aspera et dura, vel saltem dissoluta et hians, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur (QT. VIII, 6 ad fin. ; et IX, 4) :

v. g. Si *quid* est in me *ingenii* ... (CIC. *Arch.* 1)

Magna *nuper* laetitia affectus sum

Hic *me* dolor angit

Marcus *ad me* Brutus venerat

Omnium *inventor* artium

magno *vir* ingenio

Recepto Caesar Orico, Apolloniam ... proficiscitur

Omnis *quae me* angebat *de republica* cura ;

etc.

171. Vitiosus est ordo oratorius si fiat :

a) *sine causa*, ita ut nihil inde crescat oratio :

v. g. *Inflixit fratris mors tui grave mihi vulnus* ;

b) *perperam*, cum alia verba extollis, quam instituta oratio poscit :

v. g. *Iussu consulis, Catilina, iam pridem te ad mortem duci oportebat* ;

c) *liberius* seu *durius*, i. e. contra linguae latinae ingenium. Omnino hic quoque parcendum est auribus et consuetudini. Maior profecto est in hoc genere poëtis, quam oratoribus libertas.

Quo maior praeterea est in invertendo libertas, eo maior quoque causa requiritur, ut inversio probetur. Itaque adiectiva, adverbia et his similia sententiam incipere vel claudere, nisi gravior adsit ratio, non debent ;

d) *frequentius* ; tunc enim, praesertim si et audacius, oratio putida redditur.

172. Sermonis ornatus ex vario generum periodorum usu.

Cum sermo sit de periodi ornatu, postulat hic locus ut pauca dicamus de usu periodorum, id est quomodo pro vario rerum et orationis genere, varia etiam periodorum genera sint adhibenda.

1. Periodi orationi suavitatem et dignitatem conciliant. Sed moderate et cum circumspectione adhibendae sunt, ut pro vario genere rerum et orationis, frequenter etiam incisim (seu incisa non colligendo in membra vel periodos) et membratim (i. e. membra soluta ponendo) dicamus.

Cicero haec affert exempla in *Orat.* c. 67 :

« ” *Domus tibi deerat ? at habebas. Pecunia superabat ? at egebas* ”. Haec *incise* dicta sunt quattuor ; at *membratim* quae sequuntur duo : *Incurristi amens in columnas : in alienos insanus insanisti*. Deinde omnia tamquam crepidine quadam *comprehensione longiore* sustinentur : *Depressam, caecam, iacentem domum pluris quam te et fortunas tuas aestimasti* ».

2. Periodis maxime utendum est in ea oratione, quae dignitatem prae se ferre, et animos non tam perturbare, quam leniter et iucunde commovere debet, ut in historia, in orationibus. Ubicumque autem acriter erit, instanter, pugnatiter dicendum, membratim caesimque dicemus (Qt. IX, 4), ut in causis forensibus et similibus, iis maxime locis ubi aut arguis aut refellis.

Similiter oratio, quae a quotidiana locutione propius abest, ut in epistolis et dialogis, hunc ornatum periodorum grandiorum plerumque respuit.

Art. II. ORNATUS EX NUMERO ORATORIO

173. Tres perfectae periodi dotes :

Ut perfectus completusque sit verborum ambitus debet, ut vidimus n. 140, non tantum ita contextus esse, ut *unus*

in partium varietate, *perspicuus* intellectu, *concinnus* ex membrorum proportionem sit, sed etiam esse *harmonicus* seu *numerosus*.

Audiamus Ciceronem (*Orat.* c. XLIV, n. 149) : « Collocabuntur igitur verba ut

- 1) (*Compositio*) aut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis eaque sint quam suavissimis vocibus » ; aliis verbis in *De Or.* III, 171 : « ut neve asper eorum concursus neve hiulus sit, sed quodam modo coagmentatus et levis ». « Quamvis enim suaves gravesque sententiae, tamen, si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures, quorum est officium superbissimum (= difficillimum) ; quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit quin vocales nolit coniungere (i. e. vitare hiatum) » (*Or.* 150) ;
- 2) (*Concinnitas*) « aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum ». Verba autem « finiuntur (i. e. concinnitatem conficiunt) » (*Or.* n. 164) : aut compositione ipsa et quasi sua sponte (i. e. ex ipsa simplici partium collocatione, sine industria), aut quodam genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest » (i. e. figuris) ;
- 3) (*Numerus*) « aut ut comprehensio numerose et apte cadat », id est, ne sit « infracta et amputata » (*Or.* 170) (« curta, decurtata, mutila » [*Or.* 168 ; 178 ; 32]), ideoque « claudicans et insistens » (*Or.* 170) ; neque, ex altera parte, « fluat (= uniformis), vagetur, insistat interius (= ante naturalem exitum), excurrat longius » (3 *De Or.* 190).

174. Quibus constituatur numerosum in oratione.

Cicero in « Oratore » (n. 181) duplicem ponit de re quaestionem :

- 1) utrum id « quod dicitur in oratione numerosum », seu elementum orationis rhythmicum, « numero solum efficiatur, an etiam vel compositione quadam, vel genere verborum » seu *concinnitate* ;

- 2) an compositio, concinnitas, numerus, (quamvis sit unicuique munus naturaque propria), sint reapse tres veluti aspectus collocationis verborum seu compositionis, quae per quaedam verborum intervalla constituat numerum, per certos sonos seu voces efficiatur ipsa, per figuras vero seu « orationis quasi formas et lumina » fiat concinnitas.

Respondet autem dicendo tres illas dotes « non esse unum nec idem »; concinnitatem tamen esse numero finitimam, cum per se plerumque perfecta sit; compositionem vero ab utroque differre, cum tantum spectet gravitatem sonorum et suavitatem.

Numerus ergo proprie oritur ex perfectiore artificio in periodi structura, ita ut verba sint numerosi quasi materia, quam numerus expolit. « Omnino duo sunt — inquit Cicero (*Or.* 185) — quae condiant orationem, verborum numerorumque iucunditas: in verbis (seu in verborum compositione et concinnitate) inest quasi materia quaedam, in numero expolitio ».

175. Numeri oratorii natura et origo.

1. *Numerus oratorius* in oratione soluta locum habet, et est dispositio pedum longorum et brevium ita apte variata in periodo, et praesertim in eius conclusione, ut suavis evadat et harmonica.

Dicendi enim imperitus, quae dicit, spiritu non arte determinat; at orator ita illigat sententias verbis, ut nihil inane, inconditum, curtum, claudicans et redundans dicat. Quod fit oratorio numero, qui aptam et concinnam et suavem efficit orationem.

Dicitur autem *numerus*, quia illa distinctio brevium et longorum, illaque varia intervalla numerari possunt, continuatio indistincta non potest: quemadmodum in cadentibus guttis — ut ait CICERO 3 *De Or.* 48 — quod intervallis distinguuntur, numerum notare possumus, in amni praecipitante non possumus.

2. Si vero orationis aptae et numerosae *originem* inquiramus (Cic. *Or.* c. 52), princeps dicitur fuisse *Thrasymachus*,

cuius tamen nimis numerosa fuerunt scripta. *Isocrates* ita rem temperavit, ut multi eum huius concinnitatis faciant auctorem. *Aristoteles* et *Theodectes* verum in oratione ventant esse, numerum requirunt : de quo *Theophrastus* accuratius praecipit.

Romani tempore Ciceronis agnoverunt numerum, de quo diligentissime Cicero ipse praecepta dedit.

176. Numeri oratorii causa et momentum.

1. Si *causam* quaeramus aptae et numerosae orationis, dicendum est cum Cicerone (*Or. c. 53*) : « Aures ... vel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet vocum omnium mentionem. Itaque et longiora et breviora indicat et perfecta ac moderata semper exspectat ; mutila sentit quaedam et quasi decurtata, quibus, tamquam debito fraudetur, offenditur, productiora alia et quasi immoderatus excurrentia, quae magis etiam aspernantur aures, quod cum in plerisque tum in hoc genere nimium quod est offendit vehementius quam id quod videtur parum.

Ut igitur in poëtica versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentium, sic in oratione animadversum est, multo illud quidem serius, sed eadem admonente natura, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum ».

2. *Quanti vero momenti* sit numerose dicere, experiri licet si periodum aliquam Ciceronis pervertas, aut si aliquam inconditam dissipatamque, verborum ordine paulum commutato, in quadrum redigas.

177. Non confundendus numerus oratorius seu rythmus cum « metro poëtico ».

Quamvis enim uterque pedibus constet, tamen multis modis differunt :

Rythmi spatio temporum constant ; pedes etiam ordine : in rythmo nihil refert sitne dactylus an anapestus cum eodem temporum spatio constant ; in versu unus pes pro alio poni non potest. Praeterea, in versu semper idem est cursus, ut in heroico carmine dactyli et spondei :

in oratione nullus est certus numerus ; in versibus is cursus est numerorum, nihil ut fiat extra modum seu non rythmicum : in oratione aliquid dari potest rythmo carens (*Or.* 198).

Unde « omnis nec claudicans, nec fluctuans, et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit. Quo etiam difficilius est oratione uti quam versibus, quod illis certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse ; in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne immoderata aut angusta aut dissoluta aut fluens sit oratio » (*Cic. Or.* 198).

178. Numeri usus et locus.

« Solet autem quaeri totone in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis. Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non ut solum ; ponendus est enim ille ambitus, non abiciendus. Quare cum aures extremum semper expectent in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet, sed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet verborum illa comprehensio et tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa (per se) consistat » (*Cic. Or.* n. 199).

Omnes autem pedes in varia et perpetua oratione sunt inter se miscendi et temperandi ; sic enim vitium vitabitur iisdem semper numeris utendi, « minimeque animadvertetur delectationis aucupium et quadrandae orationis industria » (*Cic. Or.* 197) ¹.

179. Numerus in clausulis praecipue curandus.

Quae principia quive exitus convenient, id praecipue aurium iudicio ponderandum ; huius enim rei praecepta non satis definita esse solent.



¹ Ratio clausularum ciceroniana, non est nostro tempore habenda quasi relictus innaturalis ad statum linguae iam superatum. Sicuti enim et totam periodi rationem et verborum elegantiam ad Ciceronis exemplar perfectissimum sequi contendimus, ita et clausulas. Si non ex toto persentimus auribus clausularum numerositatem, sicuti an-

Clausulae diligentius, quam cetera omnia, considerandae sunt: quod in his perfectio et absolutio iudicetur. In extrema periodo, duo aut tres pedes sunt fere notandi. Magis autem efferuntur ac notantur clausulae si praecedat intervallum et quasi interspiratio seu caesura, quae interdum per iberbaton obtinetur:

v. g. « *Mores et instituta vitae resque domesticas et familiares nos profecto // et melius tuemur et lautius Rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt // ex institutis et legibus* ». (CIC. 1 Tusc. 1).

Cavendum est ne clausulae orationis sint eadem ac versuum; praeterea ne verbis plurimarum syllabarum utamur in fine, quod etiam in carminibus est permolle; denique ne aurium satietate repudientur, ideoque variandae sunt.

In mediis autem pedibus, si orationem ferri celerius volumus, crebros trocheos et iambos inseramus; si lentius, spondeos; si moderatius, pedibus utemur, qui brevibus et longis temperantur.

180. Clausulae commendatiores.

In clausulis vulgo commendatur (CIC. Or. c. 63 sqq.):

— Dichoreus: (ultima syllaba est anceps):

v. g. *sērvīātīs*; *cōmprōbāvīt*; *pērsōlūtās*; *pēr tōt ānnōs* (cfr. CIC. Or. n. 213).

— Dicreticus:

v. g. *ēssē rēmpūblīcām*; *potīssīmūm cōnfērām*; *libertātē dēcērnītūr*.

— Creticus et spondeus vel trocheus:

v. g. *iūdicārētūr*; *nōn ōpōrtērē*; *ēssē fāctūrōs*; *mōrtē vīcērūnt*.

— Spondeus et creticus:

v. g. *adolēscēns nōbīlīs*; *rudis īn rē pūblīcā*; *ēxpēctābīmūs*.

— Creticus et dichoreus:

v. g. *reī gērēndāē quērēmūr*.

tiqui sentiebant, at partim sentimus. Ceterum haec clausularum numerositas cum veriore latinae linguae natura consonare est dicenda.

- Creticus et spondeus :
v. g. *rem pūblicām cōnclāmāstīs*.
- Paeon primus et spondeus :
v. g. *potuīssē sūpērārī ; ēssē vīdēātūr*.
- Paeon primus et creticus :
v. g. *āspīcērē pōssūmūs*.
- Spondeus :
v. g. *īmpēllāmūs ; prōstērnāmūs ; cōnfōrtātōs* (cfr. *Or.* n. 16).
- Paeon quartus et spondeus :
v. g. *est prōpriā libērtās*.
- Dochmius : (« iteratus aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit », *Or.* n. 218) :
v. g. *pērhōrrēscērēt ; āmīcōs tēnēs*.

181. Numerus non aperta industria exquirendus.

Sunt et aliae clausulae quae numerose concludunt, quas observavit Quintilianus (*Instit. Or.* IX, 4, 87 sqq.).

Non tamen insaniendum est in consecrandis numeris et clausulis, sed ita verba structa esse debent, « ut numerus non quaesitus, sed ipse secutus (i. e. sua sponte effectus) esse videatur, ... ordo enim verborum efficit numerum sine ulla aperta oratoris industria » (Cic. *Or.* n. 219).

Si quae proinde de numeris praecepta dedimus, non ideo profecto a nobis tradita sunt, ut tyro in dinumerandis pedibus syllabisque dimetiendis nimium temporis insumat. Etenim haec apte numeroseque dicendi facultas non est sane tanti laboris, quanti prima fronte videtur esse. « Nihil est enim tam tenerum neque tam flexibile neque quod tam facile sequatur quocumque ducas, quam oratio » ; atque ut « mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus ac fingimus, ... sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus idque ad omnem aurium voluptatem et animorum motum mutatur et vertitur » (Cic. 3 *De Or.* 45).

Quapropter, ut animorum satietati fastidioque occurratur, ex laboriosis his praeceptionibus quemdam quasi succum exprimere et faciliores aliquot brevesque regulas ad omnium captum et cotidianum usum accomodatas hoc loco proponere iuvabit.

182. Quomodo numerosa fiet periodus.

Numerosa fiet periodus (DE COLONIA, l. I, c. VI) :

- 1) si syllabae breves ac longae sic temperentur ut neque copiā brevium incitatio ac celerior feratur oratio, neque longarum multitudine retardata languescat :

v. g. *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes ...* (CIC. *Pro Marc.* 8).

Aliquando tamen ex arte et industria syllabae breves vel longae coacervantur, ut vel celeritatem vel tarditatem exprimamus. « Cursum contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem » (*Or.* 212) ;

- 2) si commisceantur voces unius, duarum aut plurium syllabarum ; per iterata enim et continuata monosyllaba retardatur quasi exsiliens et subsultans oratio ;

- 3) si magnificis et benesonantibus verbis terminetur ; quae tamen non sint, ut apud poëtas, exquisita ad sonum, sed sumpta de medio (*Or.* 163 ; HOR. *A. P.* 243) :

v. g. « *Quos amisimus cives, eos non Martis vis perculit, sed ira victoriae. Nam qui locus quietis ac tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maxime moles molestiarum et turbulentissimae tempestates exstiterunt* » (*Pro Marc.* 17) ;

- 4) si splendida sint verba, non solum in periodi clausula, sed etiam in toto illius quasi contextu :

v. g. « *Obrepsisti ad honores horrore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil praeter colorem* » (CIC. *In Pison.* c. 1) ;

- 5) si fugiatur asperior litterarum et vocabulorum concursus : v. g. *rex Xerxes* ; eiusdem vel litterae vel sillabae iteratio ; continuatio verborum similiter desinentium, etc. ;

- 6) si constructio distet (praesertim in elegantioribus scriptis) a vernacula seu logica, et sit inversa, ita nempe, ut quod reapse prius est, fiat artificiosa quadam verborum collocatione posterius. Quae traiecta constructio ita est propria latinae linguae, ut omnis illius vis atque ele-

gantia, et quasi natura ac indoles in eo potissimum sita esse videatur (cfr. n. 170) : v. g.

« *Frater tuus quanti me faciat semperque fecerit, esse hominem qui ignoret, arbitror neminem* » (CIC.)

« *Fere quem quisque locum pugnando ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat* » (SALL.)

« *Quae res in civitate duae plurimum possunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, summa gratia et eloquentia* » (CIC.) ;

- 7) cum denique (ut vidimus n. 172) pro vario rerum et orationis genere, varia etiam periodorum genera sint adhibenda, non plenae tantum circumscriptiones, at incisa quoque et membra sunt numeris vincienda (3 *De Or.* 190) : v. g.

« *Missos faciant patronos ; ipsi prodeant (incisa) ; cur clandestinis consiliis non oppugnant ? (membrum) cur de perfugis nostris copias comparant contra nos ? (periodus non longa)* » (*Or.* 222)

« *O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda ! (membratim) Diximus (caesim) : testes dare volumus (membratim). Quem, quaeso, nostrum fefellit ita nos esse facturos ? (comprehensio bimebris)* » (*Or.* 222).

183. Vitia in oratione numerosa vitanda.

Primum, ne aperte verba traiciantur, quo melius aut cadat aut volvatur oratio.

Alterum est, ne, dum numerose loqui volumus, inania quaedam verba quasi complementa et ramenta numerorum includantur, ac si rimas explere velimus.

Tertium est, ne, dum oratorium numerum quaerimus, incidamus in poëticum, et periodi finis sit finis alicuius versus, praesertim heroici vel elegiaci, quod non semel excidit ipsi Ciceroni (3 *De Or.* 175).

Quartum, ne minutis numeris concidatur infringaturque sententia : sed verba iam probata et electa concinne coagmententur ; dura enim inter se commixta, potiora sunt inutilibus.

Quintum, ne, dum numero diligentius servimus et aurium voluptati morigeramur, omnis interea retardetur impetus visque orationis, et animus ab iis, quae potiora sunt, penitus avertatur.

Quapropter haec aliaque huiusmodi in numero vitia, non ut ingens crimen expavescenda sunt, ac nescio negligentia quaedam in hoc, an nimia sollicitudo sit peior.

184. Quomodo parari possit facultas numerose dicendi.

1. Si numerosas aliquot et volubiles Ciceronis sententias vel periodos non legere modo, sed elata etiam voce pronuntiare assuescas, ut dissimulata latensque harmonia penitus sentiatur et aures mirifica quadam voluptate permulceat.

Aurium enim praecipuum est in hac re iudicium, superbissimum quidem seu satisfactu difficillimum. Cuius, etsi magna certe sit vis, iuvvari tamen potest exercitatione legendi et pronuntiandi.

Proderit deinde ad acuendum aurium sensum, periodos perturbato verborum ordine describere et pronuntiare, ut differentia numeri notetur, ac rursum componendo ordinem quaerere quam numerosissimum, et repertum cum illo qui primum fuerat conferre.

Legantur, exempli causa, hae Ciceronis sententiae :

« *Nulla est tanta vis tantaque copia, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit* » (CIC. *Pro Marc.* 8)

« *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere* » (CIC. 2 *Phil.*).

Videas nunc quomodo omnis venustas decorque pereat si numerum invertas inepte :

Nulla est vis tanta et copia tanta, quae non possit debilitari et frangi viribus ac ferro

Te miror, Antoni, non perhorrescere exitus eorum, quorum imitaris facta.

2. Si numerum illum et quasi concentum imitatione et stilo coneris exprimere : quod quidem exercitatione et usu, qui est optimus dicendi magister, non ita difficulter consequeris. « Ut enim qui in sole ambulat, sensim coloratur, ita cum istos ad Misenum libros lego, sentio orationem meam illorum quasi cantu colorari » (CIC. 2 *De Or.* 60).

Sed de numero satis hactenus dictum ; iam ad ea veniamus quae de ornatu supersunt dicenda.

CAPUT IV

DE PROPRIETATIBUS STILI QUAE AD ORNATUM PERTINENT

Art. I. DE VARIETATE ET NOVITATE

185. Varietas in rebus et in verbis.

Ut repetitio fastidium, sic varietas delectationem et admirationem ex quadam novitate afferre solet ; non modo enim taedium levat et satietatem, sed mentem etiam reficit et quamdam cognoscendi aviditatem excitat. Quare :

1. Seligendae sunt *res* inter se dissimiles, omnes tamen ad id, quod quaerit oratio, accomodatae, nec eae semper eodem ordine distribuendae.

Ad variandam autem orationem saepe perutilis est etiam *digressio* seu tractatio rei quae cum argumento non necessario coniungitur, dummodo

- a) res, ad quas digredimur, sint iucundae aut graves, non nugae ;
- b) ne longius quaerantur, sed sponte videantur oblata, ita ut non laborandum sit in reditu ;
- c) totus ille digressus propositae orationi consentiat et quoad res et quoad stilum.

2. In *verbis* autem vitanda est ὁμοιολογία, i. e. oratio quae est tota unius coloris, qua maxime deprehenditur carens arte oratoria, eaque longa et in sententiis et figuris et compositione, non animis solum sed etiam auribus est ingratiissima (Qt. VIII, 3).

In oratione varietas est apta disparium verborum, modorumque dicendi, temporum, troporum et earum rerum omnium, quae ipsam orationem efficiunt, concordia.

Quare, ut hanc sermonis virtutem assequamur, magna primum requiritur copia vocabulorum, modorumque loquendi, quos disertī scriptores usurparunt: idque tum maxime, cum translationibus splendidisque vocibus utimur; nam splendida et speciosa magis in oculos incurrunt, et si nimium repetantur, fastidium generant.

186. Quomodo orationi induci possit varietas.

Magna orationi induci potest varietas:

- 1) per verba *synonyma* (vitanda tamen verborum et tautologia), praesertim cum non presse de aliqua re dicimus, vel sententia ipsa gradus quosdam commode admittit;
- 2) per *definitiones* aut *descriptiones*: omnia enim possunt propriis coloribus et luminibus exprimi atque describi, sicque varia omnino evadet oratio;
- 3) per *variationem rhetoricam*, i. e. figurarum et troporum, inversionis et numeri et iuncturae et generum periodorum, etc.;

4) per *variationem grammaticam*, quae¹:

I. vel pertineat in universum ad omnes propositiones, adeo ut, quemadmodum ex una cera plures imagines, ita ex eadem sententia plures fingi possint periodi. Ita habetur exempli causa:

a) variatio per locutiones synonymicas: v. g.
ingenium hominum proclive est ad libidinem, variari potest: *ea est hominum indoles ut ad voluptatem ruat*; *ita comparata est hominum natura, ut labor cedat libidini, voluptatis illecebris*, etc.;

b) variatio per casus, per formas verborum: v. g.
In hoc natura efficere quid possit, videtur experta (NEP. Alcib. 1), variari potest: *in hoc naturae quanta vis sit, vel quid natura effici possit, perspectum est*

Nulla unquam voluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate (CIC.), variari potest: *incredibile est quanta me voluptas affecerit*;

¹ HEINECCIUS, *Fundamenta stili cultioris*, P. I, c. 1, XXII.

- c) variatio per commutationem adiectivi in substantivum, et huius in illud : v. g.
satis eloquentiae, summam liberalitatem habebat, variari potest : satis eloquens, perquam liberalis erat, etc. ;
- d) variatio per mutationem nominis in verbum, vel contra : v. g.
Omnibus par et plerisque melior ; melius Cornelius Nepos : antefertur huic nemo, pauci pares putantur ;
- e) variatio per mutationem superlativi in comparativum : v. g.
Excellentissimus fuit in virtutibus .
Nihil illo fuit excellentius in ... (NEP. Alc. 1)
Virtute nihil est (excogitari, fingi potest) formosius, etc. ;
- f) variatio per participia loco propositionum relativarum, temporalium, etc. : v. g.
inopia deperditus (PHAEDR. I, 15, 1), variari potest : qui inopia perierat
Cogitanti mihi hac de re, mirum videtur, variari potest : cum de hac re cogito ...
excruciatum denique necaverunt, variari potest : postquam eum excruciarunt ...

II. vel est propria quibusdam tantum formulis et locutionibus, ut sunt :

- a) variae descriptiones superlativi : v. g.
Tanta mihi familiaritas tecum fuit ... ut nulla maior esse possit (CIC. Ep. VI, 9)
gloriā et modestiā unus omnium maxime floruit (NEP. Miltiad.)
huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut ... (NEP. Timol. 1)
adolescens vultu adeo modesto, ut nihil supra (TER.) tam sum amicus reipublicae quam (vel ut) qui maxime (CIC.) ;
- b) quo vel quanto - eo et comparativum possunt mutari in *ut quisque* - *ita*; *quam* - *tam* et superlativum:
Ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur (CIC.)

Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est
(SALL. *Iug.* 31, 14) ;

- c) *non modo - sed etiam* eleganter reddi possunt per
tantum abest ut - ut etiam, ut quoque; non dicam-
sed : v. g.

Tantum abest ut philosophia sit magistra vitae, ut
ipsis philosophis, magistris vivendi opus sit (= *non modo philosophia non est magistra vitae, sed ipsis ...*)

Tanta est scribendi copia, quae non dicam exornare,
sed enarrare res gestas possit (CIC. *Pro Marc.* 2) ;

- d) *oportet* exprimitur a Cicerone aliis etiam formulis,
ut non possum non ... ; facere non possum quin ... ;

- e) *totus* pariter variis formulis exprimitur : v. g.

mare, quam longum est

Italia, quam late patet

et vacuus somno noctem, quam longa, peregi (Ov.
Amor. I, 2, v. 3)

nox acta est, quanta fuit (OVID.).

187. Non tamen, aucupio varietatis, amittenda stili aequalitas.

« Cavendum tamen est ne, dum varietatem orationis nimis studiose quaerimus, stili aequalitatem omittamus, quae inter perpetuam rerum similitudinem seu "monotoniam" et apertam earumdem discordiam media incedit.

Perpetua enim rerum similitudo fastidium parit, quo afficimur ab iis, qui sive scribant sive loquantur, certos dicendi modos, certas quasdam sententias, certas figuras continuo usurpant. Ex discordia autem rerum oritur deformitas, qua foedantur eorum scripta, qui cum proprie pureque fere scribant, barbarum identidem aliquid, vel exaggeratum, turgidum, obscurum effundunt » (POLCARI, *op. cit.* p. 28).

Quod autem in nostris linguis saeculo elapso peccarunt hac in re Romantici qui dicuntur, non est in latinam linguam inducendum, cuius ingenium minime patitur inauditas Romanticorum translationes, similitudines, rerum imagines.

188. Quae novitas ad ornatum quaerenda sit.

Novitas, de qua nunc sermo est, non insolentiam dicit, qua res quidam inauditas verbaque a nemine antea usurpata, ubique consecantur. Huiusmodi enim nova admodum rara sunt, neque tam conquiri, quam cum sponte se obtulerint, cum iudicio accipi debent.

Novitas quae semper quaerenda est, in eo consistit, quod non tam sententiae verbaque singula insueta, quam tota quasi facies orationis sit minime communis. Quod consequemur :

- a) illa ornamenta quaerendo et illas loquendi formas, quae non usu trita, sed minus sunt usitata ;
- b) praesertim vero si rem propositam non communi quodam modo novimus, sed tandiu animo versavimus, donec quasi in succum et sanguinem versam fecerimus nostram : tum in eloquendo verba quaeramus, quae maxime sint propria, et proinde cogitata nostra optime demonstrent. Ut enim quisque suam faciem habet, sic etiam, si de suo penu res promat, eas suis verbis suoque ornabit colore. In hoc novitas.

Hoc autem pacto duae causae novitatis in oratione aderunt : optima nempe rerum scientia verborumque proprietas, et inde consequens modus sibi proprius dicendi.

Art. II. DE COPIA ET BREVITATE

189. Quid sit copia et quomodo acquiratur.

1. Copia dicendi ubertas est sententiarum et verborum, qua res proposita illustrius et gravius declaratur. Quae, si ad omnem quidem dicendi virtutem multum valet, hoc tamen praecipue consequitur, quod rei gravitatem amplo quodam et magnifico dicendi genere demonstrat :

v. g. « *Curiam incendit, quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus ? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo*

romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari » (CIC. Pro Mil. 23).

2. Ad hanc dicendi copiam consequendam imprimis necesse est, rem ad disputandum propositam diligentius meditari, naturam, partes, causas et effectus, similia et contraria expendendo : v. g.

a) *natura* saepe iam per definitionem amplificatur : « *Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis » (2 De Or. 9) ;*

b) *partes* enumerantur :

« *Omnes memoriam consolatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen a republica detestantur. Legati, qui una fuere, alienati ; tribuni militum inimici ; centuriones, et si qui ex tanto exercitu reliqui milites existunt, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt, tibi pestem exoptant, te exsecrantur. Achaia exhausta, Thessalia vexata, laceratae Athenae, Apollonia exinanita, Ambracia direpta, Bullienses illusi, Epirus excisa, Locri exusti, Athamanum gens vendita, Macedonia condonata barbaris, Aetolia amissa, Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati, cives Romani, qui in iis locis negotiantur, te unum solum suum depopulatorem, vexatorem, praedonem, hostem venisse senserunt » (CIC. In Pis. 40) ;*

c) *adiuncta* quae, exempli gratia, connexa sunt cum civitatis eversione, magis in affectus penetrant, quam per brevem nuntium : « *expugnata est civitas »*. Unde apparebunt et « *fusae per domos ac templa flammae, et ruentium tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohaerentes, et infantium feminarumque ploratus, et male usque in illum diem fato servati senes ; tum illa profanorum et sacrorum direptio, efferentium praedas repetentiumque discursus ; et acti ante suum quisque praedonem catenati, et conata retinere infantem suum mater, et, sicubi maius lucrum est, pugna inter victores » (QT. VIII, 3) ;*

d) quoad rerum similium comparisonem e oppositionem

dissimilium, videas exemplum Ciceronis allatum n. 163, ubi de antithesi.

3. Elocutionis autem copiositas obtinetur maxime idoneo usu ornamentorum : metaphorae et hyperbolae ex tropis, repetitionis, expolitionis, synonymiae, antithesis et gradationis ex figuris.

Dum autem copiosus esse conaris, genus tuum dicendi ne fiat redundans, inflatum, corruptum.

190. Brevitatis natura et usus.

1. Brevitas virtus est orationis, quae superflua praecidit et paucis multa complectitur :

v. g. « *Nihil habet, (Caesar), nec fortuna tua maius, quam ut possis, nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos* » (CIC. *Pro Lig.* 12).

2. Primum igitur *in rebus* tenendus est modus, ut non aliae, quam utiles proposito orationis, sed neque eae ipsae semper omnes sumantur. *In tractatione* autem sententiarum et verborum idem delectus habendus est, qui rerum ; maxime autem videndum, ne sine causa pluries idem dicas, aut inutiles explicationes intexas, aut denique rerum adiuncta loquaciter enumeres.

Saepe sententiae secundariae, maxime interiectae et relativae, contrahi possunt per participia, nomina, apposita et ellipses :

v. g. *Post proelium*, pro : *postquam a proelio cessatum est*
Huius vitae mala, pro : *mala quae in hac vita toleramus*
Cum « *duo fulmina* » *nostri imperii subito in Hispania,*
Cn. et P. Scipiones, extincti occidissent (CIC. *Pro Balb.* 15).

3. Sed breviter dicenti cavenda est *obscuritas*, qua necessaria orationi verba subtrahuntur, quasi satis sit scire ipsos tantum scribentes, quae dicere velint ; et *ieiunitas*, quae, ex inopia nata, res tantum indicat ut intelligi possit, et nihil addit quod ornet et amplificet. In dicendo enim iusta copia et brevitatis integra, diversae quidem virtutes sunt, non vero sibi contrariae.

4. Laudanda hoc loco *brevis quaedam simplicitas*, ut quæ in rebus saepe maximis vim et dignitatem habeat singularem, quæque interdum copiae praeferenda videatur. Sed et copiae et brevitati sua est laus ; utra autem adhibenda sit, ex rebus, personis, quas alloquimur, et ipsius orationis genere iudicandum erit.

Itaque si in epistola vel historia res sublimes tractandae veniunt, simplicitate utamur, si in concione, copia. Si praeterea tranquillam quandam mirationem intendat oratio, sedatum et simplex genus dicendi, si animorum commotionem, copiosum adhibebimus.

5. At vero non solum si sublimia loquimur, sed omnino in omni genere breviores aut copiosiores esse debemus, prout instituta oratio postulaverit. Saepe tamen et iusta brevitatis et sana copia (quod de aliis etiam stili proprietatibus valet : cfr. 3 *De Or.* 7) in eodem genere et loco laudabilis.

Adverte in epistola Bruti ad Ciceronem (*Fam.* XI, 4) et Ciceronis Bruto (*ibid.* 4), quam diversus in eodem genere stilus ! Uterque enim ad familiarem scribit, uterque amicitiae sensus exponit, uterque narrat, in conclusione alter petit, alter promittit : sed quam copiosus Cicero, quam praecisus et simplex Brutus ! Uterque bene, sed pro sua uterque indole et moribus.

CAPUT V

DE VITIIS QVAE EX PERVERSO ORNATUS USU NASCUNTUR¹

191. In ornatu generatim mediocritas tenenda est.

Cum dicendi virtutibus vitia quaedam vicinia sint, in adhibendo ornatu generatim mediocritas, quae est inter nimium et parum, tenenda est.

« Decipimur specie recti : brevis esse laboro,
Obscurus fio, sectantem levia nervi
Deficiunt animique ; professus grandia turgēt ;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum sylvis appinget, fluctibus aprum :
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte »

(HOR. A. P. v. 25 sqq.).

Omniū autem in eloquentia vitiorum pessimum est *mala ornatus affectatio* (QT. VIII, 3) seu illud *corruptum dicendi genus* de quo tam saepe veteres, tumida complectens et exilia et praedulcia et abundantia et arcessita et exsultantia.

Duobus praecipue se modis prodit : nimio cultu vitio-
saeque superlatione.

192. Mala ornatus affectatio ex nimio cultu :

quo peccant qui superstitiosa quadam diligentia orationem expoliunt (unde *frigida* evadit oratio nec corpori viventi, sed cereae imagini, fucō et pigmentis illitae, similis²), ac venu-

¹ KLEUTGEN, *op. cit.*, P. I, c. X.

² De *frigido* ac *puerili* stilo, videas infra n. 197, 3, b.

states exquisitas per omnes orationis partes aequabiliter frequentant, ideoque non sine satietate delectant (Cic. 3 *De Or.* 97).

Hoc vitium praecipue in sententiosa illa brevitate, in antithetis et longe maxime in acumine notatur. Quibus omnibus dum prima specie acerrime commovemur, celerrime etiam fastidio et satietate abalienamur. Nam omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum.

Dedecet autem imprimis orationem, quae vel familiarem sermonem imitari (unde merito reprehenditur Plinius Iun., antithesium et argutiarum aucupator), vel affectionem animi exprimere debet. Animus enim vere commotus, quae sentit, libere effundit, non expendit verba, non metitur syllabas, non intorquet compositionem, multoque minus sectatur argutias.

Confer de eadem re duas epistolas, Plinii (VI, 1) Tironi, et Ciceronis (*Fam.* VII, 15) Trebatio.

193. Mala ornatus affectatio ex vitiosa superlatione,

quae sive in verbis sive in rebus quoque et sentiis plus audet, quam decet aut natura patitur.

« Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum »
(HOR. I *Sat.* 1, 106).

a) In *verbis* superlatio est, cum in re vulgari gravitatem elocutione affectant.

Quare vitandus est *tumor*, qui nubes et inania captat : grandia nomina, epitheta magnifica, sententiae ampullatae ; vitanda etiam *redundantia*, qua et languet et inobscuratur oratio ;

b) in *rebus* : si iam non verba tantum, sed fictiones etiam, cogitata et sensus, naturae modum excedunt, tota oratio monstruosa efficitur.

Haec autem ideo a plerisque laudantur, quod sermo rectus et secundum naturam enuntiatus nihil habere ex ingenio videtur ; illa vero quae utcumque deflexa sunt, tamquam exquisitiora miramur. Hoc ipsum corruptis moribus, luxuriae atque socordiae tribuit Seneca in epist. 114 : « talis

hominibus fuit oratio, qualis vita ... ; genus dicendi ... imitatur publicos mores ». Hoc denique accidit aetate argentea, quae dicitur, et sequentibus ; post vero renatas litteras, saeculo XVII in Italia, ubi mala affectatio non litteras modo vernaculas infecit, sed et latinas. Multi etiam alibi variis aetatibus corruptum dicendi genus induxerunt, qui in sentiis numquam satis sibi singulares videbantur. Huiusmodi scriptores, inaudita semper sectantes, in eloquendo transalationes audaces, acutissimas antitheses, verba rara et nova quam possunt plurima coacervant, ac tum demum sibi ornate dixisse videntur, cum in sentiis veritas, in fictione probabilitas, in rebus et personis decentia, in cunctis denique modestia perierit. Non inepte iis comparandi videntur, qui cum fere ciborum gustum amiserint, cibos nisi oxyzomos piperatosque non gustant.

P A R S Q U A R T A

**De oratione apta
in singulis scriptorum generibus**

CAPUT I

DE STILO UT EST APTA DICENDI FORMA PRO QUOLIBET SCRIPTIIONIS GENERE

194. Orationis aptae natura ¹.

1. *Aptus dicitur sermo* qui consentaneus est :

- a) *rei* : quod fiet si inter illum et dicendi genus quaedam erit similitudo, ita ut de re humili summis, de mediocri temperate, de magna graviter dicas ;
- b) *proposito* : videndum est enim, quid maxime spectare debeat oratio, doctrinam an delectationem, an graviores animorum motus ;
- c) *personis* : non solum eorum, ad quos dirigitur, sed ipsius etiam dicentis, et illorum, de quibus sermo est, vel quos loquentes facis ;
- d) *loco quoque et tempore* : quorum eadem fere, quae personarum, ratio habenda est.

2. *Decorum* (πρέπον appellant hoc Graeci) nusquam in oratione abesse debet, ut neque in vita : semper enim in omnibus dictis et factis, minimis et maximis, hoc decere, illud non decere dicimus.

Sed tamen imprimis videndum, ut affectibus consentiat ; habet enim suum quisque motus sermonem, quem imitari debet oratio : in quo genere multo plus arte valet natura et usus.

Neque vero in sententiis solum seu rebus, sed etiam in verbis videndum est quid deceat vel rem vel personas vel ipsum, quod assumpsisti, genus dicendi (Cic. *Orat.* c. XXI).

¹ KLEUTGEN, *op. cit.* nn. 152-154.

195. Divisio stili, ut est propria cuiusque scriptionis forma.

1) *sublimem* seu *magnificum* : qui, verbis gravibus magnificisque sententiis constans, sua nobilitate audientium animos extra se quodammodo rapit et admirationem vel ab invitis extorquet. Quod fit si sententiae vim, maiestatem dignitatemque prae se ferant, ac res de quibus loquimur ea parte inspiciantur, qua illustriores et speciosiores sint : si verba eligantur optima, metaphorae ex rebus ducantur splendidis. Sed in verbis cavendum est, ne sententiam vel nimia loquacitate frigidam, vel exaggeratione ridiculam (per apertam morum et personarum, partium et totius, instrumentorum et finis dissimilitudinem atque inaequalitatem) efficiamus.

Invenitur autem sublime :

- a) *in rerum natura*, ut in vasti oceani astrorumque conspectu, in procellis, incendiis, terrae motibus, etc. ;
- b) *in vita et moribus*, ut si qua sunt facinora magno consilio suscepta et eximia fortitudine perfecta ; quo imprimis pertinet bonorum, famae et vitae ipsius magnanimus contemptus ;
- c) maxime vero *in rebus divinis*, ut sunt mundi creatio (*Genes.* c. I-III), diluvium, legislatio in monte Sinai, etc.

Elocutio autem, modo est simplex et concisa, modo audax, uber et velut exaestuans. Magnificus est stilus Plinii in Panegyrico ; Ciceronis in 2^a Catilinaria, in 2^a Philippica, in Verrem, in Pisonem, in Pro Milone ; Virgilii in libris 2, 4, 6 Aeneidos, etc. ;

2) *tenuem* (*humilem, subtilem, infimum*) : ille est qui in rebus tenuioribus et exilibus usurpari solet, et in eo totus est ut res dilucide simul et concinne aperiatur. Eius dotes sunt perspicuitas, nitor, puritas, verborum proprietas, nullus insignis ornatus, maior in numero libertas, non vero licentia.

Ad tenuem stilum familiaris pertinet, cuius proprietates sunt, ut si facetus, urbanus, venustus.

Tenuis est stilus Phaedri, Ciceronis in Epistolis familiaribus, Suetonii, Caesaris (cuius Commentarii « nudi sunt,

recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste, detracto » Cic. Br. 262), etc. ;

3) *medium* (*mediocrem*, *floridum* : Qt. XII, 10) : inter sublimem et humilem positus, ita utrumque attingit, ut nec ad superioris maiestatem ascendat, nec ad tenuitatem descendat alterius. Obtinetur autem sententiis pulchrioribus, locutionibus elegantioribus, nobilioribus, politioribus ; verborum nitore atque delectu.

Ut stilus sublimis varias magnitudinis dotes, sic mediocris ceteras pulchritudinis partes amplectitur ; quare insignis et florens est, pictus et expolitus : in quo omnes verborum veneres, omnes sententiarum illigantur lepores ; propositum est enim illi praecipue delectare. Concinnas igitur sententias exquirat, amoeniores figuras easque crebriores adhibet, verba apertius transfert, ac omnia ita disponit, ut pictores varietatem colorum.

Eius igitur *dotes* sunt venustas et gratia.

196. Qui usus triplicis huius generis dicendi.

Iamvero quamquam ex his dicendi generibus aliud alii operi magis est proprium ; generatim tamen, in iisdem operibus miscenda inter se et temperanda sunt.

- a) Stilo tenui utamur ad docendum, mediocri ad delectandum, magnifico vero ad movendum.
- b) Praeterea, stilus *tenuis* convenit dialogis, fabulis, narrationibus, epistolis ; tum idylliis, eclogis, comoediis, satyricae poësi ; *mediocris* historiae potissimum, descriptionibus, elegiae, praeceptionibus poëtice traditis ; *magnificus* aptus est tragoediae, poëmati epico vel lyrico, et sublimioribus concionibus vel concionum partibus, ut in peroratione.
- c) In stili autem delectu ille ceteris est anteponendus, qui rei de qua agitur, scriptionis generi, auditorum captui, et orationis vel poëmatis partibus maxime congruit ; tum qui, ut ait Tullius : « magna graviter, mediocria temperate, humilia subtiliter efferat » (3 De Or. 55).

CAPUT II

DE STILO UT EST APTA DICENDI FORMA PROPRIA CUIUSQUE SCRIPTORIS

197. Partes stili, ut est cuiusque auctoris scribendi ratio¹.

Non solum, ut vidimus, quodlibet scriptionis genus peculiarem sibi vindicat dicendi formam, seu proprium pulchri exprimendi modum, sed et quilibet auctor in singulis scriptionum generibus illam ipsam formam certo et proprio modo exsequitur.

Hic autem stilus dividitur :

1. Ex varia sententiarum expositione :

- a)* in *diffusum*, qui sententias copiose exponens varioque in lumine collocans easque expoliens ornansque affert legentibus lucem omnem, ut rem plane intelligant : amat periodos ut plurimum longas, ornamentorum copiam, magnificentiam, amplificationem. (Sic saepe CICERO, LIVIUS ; inter recentes PERPINIANUS, M. A. VULPIUS, FACCIOLATUS ...) ;
- b)* aut *concisum*, qui sententias quam brevius potest perstringit, verba usurpat significantiora, φράσιν omnem, quae vim rei non augeat, ut redundantem amputat ; rem semel, sed maxima in luce, offert, ornamenta et figuras adhibet quidem, sed quae non tam gratiam quam robur addant ; periodo delectatur brevi, in qua struenda, vim potius quam numerum quaerit ; tandem brevitate ita gaudet, ut multa sagaci auditorum menti

¹ POLCARI, *op. cit.*, pp. 82-85. — Has autem stili partitiones afferimus et explicamus, ut, iis intellectis, facilius et rectius de auctorum stilo iudicium ferri possit.

intelligenda relinquat (SALLUSTIUS, TACITUS ; B. BEVERINIUS ...).

Quoad vero *stili diffusi et concisi usum*, haec teneas : uterque, dummodo extrema vitentur quae languorem vel obscuritatem orationi afferunt, in loco usurpatus est optimus. Legentibus tamen iusta brevitās, audientibus temperata copia est opportunior : descriptiones conciso potius, narrationes diffuso etiam stilo celebrantur (cfr. HEROD. et LIVIUM - THUCYD. et SALLUSTIUM). Animi motus brevibus sententiis saepe excitantur ; mens uberiora rerum argumenta explicationesque requirit. Brevibus sententiis concitator, crebris gravior fertur oratio ;

- c) *languidum*, qui ut stili diffusi differentia habetur ; at saepe diffusi etiam scriptores robusti sunt. Nam infirmitatis vel vigoris fundamenta sunt sententiae, quae, si non plene percipiuntur, otiosis involventur epithetis, verbis efferentur impropriis ; tum dicendi formae erunt genericae, constructiones aut debiles aut confusae orientur ;
- d) aut *robustum*, qui ut stili concisi differentia habetur ; rem plane perspectam vi significat, verba usurpat significantiora, ac materiam dictionibus figurisque omnibus accurate exprimit et evidentioribus usque coloribus depingit.
- e) *Vehemens* dicitur quando impetus maior est et verba adhibentur quae a phantasia excitatisque animi motibus proficiscuntur (sic CICERO in Catilinam, Pisonem, Vatinium, Antonium, etc.).

2. Ex ornatu :

- a) in *siccum* (*exanguem, aridum*), qui omnem excludit ornatum, rem significare contentus. Vix in praeceptionibus est tolerabilis, ubi tamen melius adhibetur planus ;
- b) in *planum*, qui paucos adhibet ornatus et fere solum de rebus rerumque intelligentia est sollicitus ; amat tamen perspicuitatem, puritatem, proprietatem, et quandoque etiam vigorem ac festivitatem ;
- c) in *nitidum*, qui mediocrem modestumque sectatur ornatum ; sermonis delectatur pulchritudine, sed ea, quae

ex verborum delectu et apta eorumdem collocatione nascitur; sententias amplectitur paucis sed clare; periodos breves verbisque superfluis carentes, figuras venustas potius quam vehementes, brevitatem, proprietatem atque varietatem in omnibus diligit, sed sine aperto studio;

- d) in *elegantem*, qui tunc habetur, cum, quae de stilo nitido diximus, ad eam perfectionem accedunt, ut in verbis, in dicendi formis, in metaphoris, in figuris, in sententiis nullus sit ornamenti defectus, nullus excessus, sed solum multus delectus. Elegans enim est scriptor, qui et instruit dicendo, aures animosque delectans, et suas sententias omnibus gratiis, sed sine fuco et calamistris adornatas, perspicue, pure, proprieque exponit, quae aptiora sunt adamans;
- e) in *floridum*, qui ornamenta omnia studiose conquirat, et omne verborum, figurarum ac sententiarum lepores deliciasque largo luxu et sumptuosa copia profundit, quare adolescentibus non omnino improbatur, in senibus gravitatem non habet (cfr. Qt. II, c. 4; Cic. Br. c. 95; 2 De Or. 21). Sic plures scriptores aetatis argenteae et saeculi XVII in Italia;
- f) in *venustum*, qui est mediocris stili adfectio, et *gravem*, qui est adfectio magnifici: quare venustus gratiam, leporem atque festivitatem; gravis vim, maiestatem atque decus in verbis, figuris, periodis sententiisque omnibus maxime consecatur.

3. Ex ipsius expositionis natura:

- a) in *simplex*, qui dicit:
vel idem et unum in omnibus orationis partibus,
vel idem ac spontaneum et naturale,
vel nullum adesse artificium apertum,
et ingenuum ostendit candorem ac verba sententiae, figurae et ornatus omnis (maximus interdum) ab ipsa auctoris rerumque natura sponte prodire videtur;
- b) in *adfectatum*, qui contrarii afficitur vitiis, et ex nimio studio artificioque dignoscitur.;
- c) *frigidus* autem ac *puerilis* dicitur stilus, qui puerilia quaedam ornamenta, frigidos lepores, ineptas signifi-

cationes, adfectatas ac luxuriantes descriptiones fri-
volaque huiusmodi crepundia putidius aucupatur.

198. Quodnam horum dicendi generum maxime probandum?¹

Quaedam ex illis vitiosa sunt, ut languidum et adfecta-
tum, quaedam in se minus perfecta et delectabilia.

Danda tamen opera ne quid invita Minerva tentemus.
Alia ingenia ad Ciceronis ubertatem, alia ad Plinii, Sallustii,
Taciti pressiolem et concisum stilum, alia ad Corneli Nepo-
tis aut Caesaris medium caharakterem natura feruntur.

Multum vero in cultiore latinitate proficiet quicumque
naturam sequetur. Quo vero tendat ingenium, facillime col-
liget ex ipsa auctorum lectione. Solent enim ea nobis legen-
tibus quam maxime sese probare, quae genio conveniunt.

Optimus scriptor erit qui pro rerum, propositi, perso-
narum varietate, variis etiam dicendi generibus sapienter
uti callebit ; etsi enim aliud alii operi magis est proprium,
generatim tamen in iisdem operibus miscenda inter se et
temperanda sunt.

¹ HEINECCIUS, *op. cit.*, P I, cap. 2, n. XLII.

CAPUT III

DE RATIONE STILI COMPARANDI¹

199. Necessitas comparandi sibi stilum proprium.

Ut ea scribamus, quae et ab omnibus qui nobiscum sunt, et a posteris nostris legantur et suspiciantur, nihil est tam necessarium, quam optimus stilus, qui suis propriis coloribus res nostras illuminet.

Verum quidem est, cum hic stilus sit *personalis* seu certa quaedam scribendi ratio cuiusque propria, difficile esse peculiare quaedam eius comparandi leges certo statuere, quin necessaria inveniendi disponendique libertas ingenio adimatur.

Attamen singularis cuiusque auctoris scribendi ratio, cum debeat accomodari et ingenio linguae qua scribit, et peculiari cuiusque scriptionis stilo, potest cum illis, tum arte et exercitio tum imitatione, si non acquiri, excoli saltem, acui perficique (cfr. n. 4).

200. Ex quibus rebus coalescat stilus.

Stilus ex duabus rebus maxime coalescit :

- a) *ex sententiis*, in quibus generatim et universe spectandum est primum ut sint verae aut saltem verisimiles ; deinde ut sint perspicuae ; postremo ut sint argumento idoneae et auditoribus accomodatae. Quapropter praecipuum studium in hoc conferemus, ut rem de qua loquimur aut scribimus, clara, accurata plenaque cognitione complectamur : stilus enim cognitioni semper respondet. « Dicendi ... virtus, nisi ei qui dicit, ea de quibus dicit, per-

¹ Cfr. DE COLONIA, *op. cit.*, lib. I, c. 7, § 7 ; KLEUTGEN, *op. cit.*, P. I, c. XIII ; POLCARI, *op. cit.*, pp. 85 sqq.

cepta sint, exstare non potest » (Cic. 1 *De Or.* XI). Horatius autem idem dicit :

« Scribendi recte sapere est et principium et fons »
(*A. P.* 309).

b) *et ex sententiae conformatione*, seu, quod idem est, ex verbis quibus ornatur et quodammodo vestitur sententia. In hac autem conformatione, qua una maxime stilus continetur, observanda sunt :

1) *verborum proprietas et elegantia*, ad quarum cognitionem plena profecto requiritur linguae cognitio tum quoad grammatica praecepta, tum quoad verborum copiam sive propria sive translata : frustra enim quis stilum formare aut ostendere affectat, si linguam, in qua praecipue stilus consistit, negligit imprudenter et ignorat.

Necessarium proinde est frasierum modorumque dicendi magnus veluti thesaurus, qui nonnisi ab assidua optimorum lectione hauriri potest et ex lexicorum librorumque usu, in quibus verborum et locutionum index habetur, ex optimis delectus latinis scriptoribus.

2) *verborum nexus et apta collocatio*, quae continentur particulis quibusdam seu commissuris, quae vim habent huiusmodi, ut nihil sit abruptum in stilo, nihil hians et absonum, nihil dissolutum et fluctuans, hoc est quod sine nervis articulisque fluctuet huc illuc ; sed ut omnes sententiae singulaeque eius partes, certo inter se modo numeroque cohaereant¹.

De verborum autem optima collocatione egimus iam supra, n. 134 sqq.

201. Quibus potissimum subsidiis ac rationibus stilus comparari possit.

1) Praeterquam *naturā*, quae cum propria cuiusque sit, proprio etiam colore et quasi veste rerum verborumque

¹ Commendabilis in hanc rem aureus Horatii Tursellini S. J. liber *Particulae latinae locutionis*, toties in lucem editus cum latinitas vigeat.

dispositionem et delectum convestit stilique *personalis* fons primus est ac praecipuus ;

- 2) et praeterquam *arte* seu praeceptis (a nobis hucusque traditis), quibus excoluntur quae dedit natura, supplentur quae illi desunt, quae verò redundant luxuriantque, castigantur et coërcentur ; quibus, uno verbo, verissime latinitatis indoles illustratur certissimaque via veluti digito monstratur, qua ad illam consequendam tuto perveniatur :
- 3) tribus potissimum subsidiis stilus comparatur : *lectione - exercitatione - imitatione*.

Natura enim cuiusque praebet ad stilum fundamentum ; ars seu praecepta cognitionem quidem stili praebent necessariam, sed non satis ad illum obtinendum valent, nisi accesserit illis firma quaedam facilitas seu habilitas ; haec autem facilitas dicendi et scribendi paratur lectione optimorum exemplarium, exercitatione seu assiduo usu et consuetudine dicendi vel scribendi ad normam optimorum exemplarium, ac denique illorum imitatione.

Quae tria non temere, sed cum magna circumspectione, duce aliquo perito magistro, suscipiantur, constanter et non vulgari diligentia fiant, donec propositum penitus consequaris.

Art. I. DE LECTIONE (Qt. X, 1)

202. Lectionis utilitates.

Perutilem esse diligentem bonorum librorum lectionem ex hoc constat, quod :

- a) copiam parat rerum, verborum modorumque dicendi, nec eam indigestam, sed propriam et loco accommodatam ;
- b) artis praecepta melius, quam ulla doctrina ostendit : quae doctor praecipit, orator ostendit ;
- c) efficit ut sponte assuescamus melioribus. « Ut cum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer ; sic cum istos libros studiosius

legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi colorari » (Cic. 2 *De Or.* 14) ;

d) postremo ingenii facultates incitat, exercet, perpolit.

203. Qui auctores legendi sunt.

Non omnis scriptorum lectio est utilis. Ille enim probabilem stilum assequetur :

- a) qui solum *scriptores cuiusque generis optimos* nocturna diurnaue manu *verset*, eorumque locutionem rationemque dicendi, quasi staterā periti artificis, examinet ;
- b) qui « classicorum » ipsorum *nec multos simul legat, et a nonnullis etiam plane abstineat*, cum vel vitio laborent aliquo, vel certe a communi dicendi ratione longius audaciusque recesserint, quos qui temere imitantur, pro ipsorum virtutibus vitia his vicina assumunt, obscuritatem pro brevitate, tumorem pro gravitate ;
- c) qui *non a mediocribus incipiat*, quin etiam « *diu nonnisi optimum quemque, et qui credentem sibi minime fallat* » (Qt. X, 1), *legat*. « Cicero, ut mihi quidem videtur, et iucundus incipientibus quoque et apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest ; tum (quemadmodum Livius praecipit) ut quisque erit Ciceroni simillimus » (Qt. II, 5).

Qui vero aliquantum profecerint, alios scriptores noscendi causa delibent potius, quam assiduo studio pervolvant. Formato autem ingenio et multa arte imbuto, proderit hos etiam diligenter pertractare.

Quod si quis latinitati studeat non ut rei mortuae, sed ut ea utatur dicendo et scribendo, poterit ac debet recentiorum etiam optimorum auctorum, qui post renatas litteras scripserunt, scripta attente perlegere, ex quibus non modo latinam linguam discet, sed quomodo etiam recentibus inventis omnibus apte possit accomodari.

204. Quomodo legendum.

1. Legendum autem est secundum illud : « *non multa, sed multum* » ; *non solum assidue, « sed diligenter ac pene ad*

scribendi sollicitudinem » (Qt. X, 1). Ne sis igitur contentus novisse quid dicatur, inquiras etiam quorsum et quemadmodum dicatur.

In quo idem fere modus servandus est, quem in explicando praeceptores (ex Quintiliani regulis, II, 5) tenere solent :

- a) primum igitur argumentum et quaestio cognoscenda ;
- b) quaerenda, deinde, quam vocant, analysis et ipsa verborum significatio ac vis ;
- c) postremo, exploranda praecepta artis de dispositione et elocutione, secundum tradita stili praecepta.

2. *Nec fere haec semel legisse satis est, sed insigniora saltem iterum iterumque lustranda sunt* : « nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus » (Qt. X, 1). Lectio enim debet non cruda, sed multa iteratione mollita et quasi liquefacta — sicuti cibus mansus ac prope liquefactus demittitur — memoriae imitationique tradi.

3. Denique, quoniam cum iudicio legendum est, *non id statim legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta* : summi enim sunt, homines tamen, quibus, sicuti et Homero et Demostheni, dormire accidit aliquando. Modeste tamen et circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent quae non intelligunt.

Art. II. DE EXERCITATIONE SEU ASSIDUO USU ET CONSUETUDINE SCRIBENDI (Qt. X, 3)

205. Scriptionis momentum.

Scribendi exercitium, ad latinae linguae cognitionem usumque plene obtinendum, maximum esse debet, nam qui calamo parcit, ingenio parcit. « Caput autem est — inquit Cicero — quod, ut vere dicam, minime facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister » (Cic. 1 *De Or.* 33).

Neque iniuria, nam :

- a) scriptio, magis etiam quam lectio, ingenii vires excolit ;
- b) artis praecepta in usum, quo continetur totum, sensim deducit ;
- c) postremo, ad subitam lectionem informat.

Nos non pigeat Ciceronem audire haec omnia fusius disputantem : « Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto adsidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim, sive artis sunt loci sive ingenii cuiusdam ac prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, inquirentibus nobis omni-que acie ingenii contemplantibus ostendunt se et occurrunt ; omnesque sententiae verbaque omnia, quae sunt cuiusque generis maxime illustria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est ; tum ipsa collatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodam oratorio numero et modo ... Et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc adfert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa quae dicantur, similia scriptorum esse videantur ; atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur » (1 *De Or.* c. 33).

206. Quae de descriptione generatim servanda.

1. *Ante descriptionem diligenter meditandum est, quid et quomodo dicendum sit, nec in ipsa descriptione quidquam praecipitandum.*

Potius igitur quam primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo sequentes calorem atque impetum, et ex tempore « *sylvam* » congerere mox componendam : « protinus adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit » (Qt. X, 3). « Sit primo vel tardus, dum diligens stilus ; quaeramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus ; adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est, et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omni modo numeri : non ut quodque se proferet verbum, occupet locum » (Qt. *ibid.*).

2. *Neque tamen haec omnia inter primam statim scriptionem expendi debent, sed « aliquando affectus sequemur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet » (Qt. *ibid.*).*

« Si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra dum nascuntur, placent, alioquin nec scriberentur. Sed redeamus ad iudicium, et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus, et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus. Oratoris quidem alia conditio est. Itaque hanc moram et sollicitudinem initiis (= incipientibus) impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamur : celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur, cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa haec est rei : *cito scribendo non fit ut bene scribatur ; bene scribendo, fit ut cito* » (Qt. X, 3).

3. « Sequitur *emendatio*, pars studiorum longe utilissima. Neque enim sine causa creditum est, stilum non minus agere, cum delet. Huius autem operis est *adiicere, detrahere, mutare*.

Sed facilius in iis simpliciusque iudicium, quae replenda vel deicienda sunt ; premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata dirigere, soluta componere, exsultantia coërcere, duplicis operae : nam et damnanda sunt quae placuerunt, et invenienda quae fugerant » (Qt. X, 4, 1).

4. « Nec dubium est *optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fetus blandiantur* » (Qt. X, 4, 2)¹.

5. *Sed huic diligentiae tum in prima scriptione tum in emendatione suus utique modus sit.*

a) In *scriptione* : « Sunt enim quibus nihil sit satis : om-

¹ Idem monet HORATIUS in *A. P.* v. 388 : « nonumque prematur in annum » ; et PLINIUS, *Epist.* VII, 9.

nia mutare, omnia aliter dicere quam occurrit, velint : increduli quidam et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem. Nec promptum est dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia sua placent, an quibus nihil ... Curandum est ut quam optime dicamus ; dicendum tamen pro facultate : ad profectum enim opus est studio, non indignatione ... ». Quare « quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus ... intuiti, humano quodam modo ad scribendum accedamus ... Nec putemus semper optimum esse quod latet ; immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus » (QT. X, 3).

b) « Et ipsa *emendatio* finem habet. Sunt enim qui ad omnia scripta tanquam vitiosa redeant, et, quasi nihil fas sit rectum esse, quod primum est, melius existiment quidquid est aliud, idque faciant, quoties librum in manus resumpserint, similes medicis etiam integra secantibus ... Sit ergo aliquando quod placeat, aut certe quod sufficiat, ut opus poliat lima, non exerat » (QT. X, 4).

207. Optimum exercitationis genus est etiam interpretatio.

Egimus hucusque de ea scriptione quae fit cogitata nostra exprimendo quaeque, cum et argumentorum et verborum congruentium inventionem requirat, maiorem quodammodo difficultatem ex ipsa libertate habet atque ideo maturiorem exigit mentem sermonisque, quo scribitur, consuetudinem. At numquam satis commendabitur, initiis praesertim, frequens ex latina et in latinam linguam *interpretatio*, quam vulgo *versionem* dicimus (CIC. 1 *De Or.* 34 ; QT. X, 5).

« Quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur ; simul, quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt : intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur » (PLIN. *Epist.* VII, 9).

Quod vero potissimum de interpretatione dicamus oportet, hoc sane est, facilius per illam pleniusque cum latinae linguae tum vernacularum vim et naturam percipi ac notari.

Debet enim interpretatio totam verborum vim et sententiarum reddere, non autem latinam vel vernaculam vestem induere, ut utriusque linguae proprietas servetur¹.

*Art. III. DE IMITATIONE*²

208. Imitationis natura et necessitas³.

1. Praecipua causa cur plures — *Romantici* praesertim — imitationem vel negligunt vel etiam acriter insecantur, in eo est, quod imitationis naturam non assequuntur: plerique enim imitari idem esse putant atque exscribere, et utriusque proprietates ac leges permiscent. Sed exscribere est rem eandem ex proposito exemplari iisdem coloribus pingere aut verbis efferre, ita ut accuratum exemplum habeatur; imitari autem est uno vel pluribus propositis exemplaribus, ex acquisitis pulchritudinis formis et ex optima exemplarium specie aliquid proprio ingenio et marte conari, ita ut non modo nusquam pateat exemplum, sed ea etiam sola existat similitudo, quae vix summis hominibus sit conspicua.

2. Si ita intelligatur imitatio, non solum est probabilis, sed utilis imprimis et necessaria. Nam quae imitari possumus, vel ex natura vel ex auctoribus petuntur:

- 1) *Ex natura*: etenim quaelibet ars in eo est, ut, quae praeclara sunt in rerum hominumque natura, eligat

¹ De toto hoc genere interpretandi, elegantissime egit CUNICHIUS in praefatione ad suam Iliadis latinam interpretationem: cfr. SPRINGHETTI Aem., *Selecta Latinitatis scripta auctorum recentium* (saec. XV-XIX), pp. 188 sqq. In quibus Anthologicis plura etiam invenies « de lectione, scriptione et imitatione », ab optimis recentibus scriptoribus latinis eleganter et lucide declarata (a p. 112 ad p. 151).

² Quae de lectione, scriptione, imitatione in hoc capite « de ratione stili comparandi » dicimus, etsi omnibus linguis addiscendis conveniunt, maxime profecto latinae aptantur, quae, cum in omnium loquendi consuetudine iam non sit, hac via, sicuti vernaculae, disci non potest. Non ideo, quae hic afferuntur praecienda, immoderate aut extra rem dicta videantur.

³ Fere ex POLCARI (*op. cit.*, pp. 100 sqq.), rem totam exscribimus.

et componat ; ut quidquam, origine tantum naturale, repraesentans, effectus proferat iis similes, quos natura ipsa gigneret. Ex natura enim res, cogitationes, imagines, mores, affectus, ornamenta omnia, atque ipsa ars, qua late patet, est ducenda, si quid proficere scribendo volumus. Quare scriptoribus et auctoribus omnibus nihil unquam saepius et vehementius, quam diligens naturae et hominum studium, commendatur : qui vero naturam melius sunt commentati, maxime praestiterunt. Quoniam tamen pulchrum, licet natura idem semper sit, multam tamen varietatem ex regionum, ex hominum, ex morum, ex temporum conditione nanciscitur ; harum rerum omnium praecipua ubique ratio habenda est.

2) *Ex auctoribus* : in quibus vel artem vel res imitari possumus :

a) *imitatio artis*. Ars certis quibusdam operum legibus continetur, quae ab ipsa natura ducuntur et ideo nullo modo contemni possunt. Sed cum natura varios agendi modos in quibusdam sequitur, variae quoque sunt interdum leges : ipsae praeterea leges (quae non solum rhetorum auctoritate sed maxime ratione, nec factis quibusdam sed universis principiis niti debent) generatim aliquid praescribunt, quod in usu multam varietatem et novitatem praebere potest ; idque curandum plurimum ab auctoribus. Quare ii qui veterum scriptorum leges variare nolunt, in quibusdam recte id facere queunt, nam saepe naturalis operis ratio, vel una est, vel certe una est aliis longe melior ; qui vero ipsas veterum leges student ita usurpare, ut in iis servandis quid proprium ingenium et iudicium valeat experiantur, hi sapientissime agunt (sic optimi in quavis natione scriptores, antequam « romantici » prodierunt).

At qui omnes leges ad arbitrium confictas existimant et inutiles vel perniciosas etiam putant, nae hi quidem nimis sapiunt: quis enim nescit artes et scientias omnes, ut opimas hereditates, longo temporum intervallo et sedula multorum hominum

observatione, experimento, cultura et iudicio crescere, augeri, perfici ?

β) *imitatio rerum et modi ipsas imitandi*. Certum est enim plurimum ab optimis exemplaribus nos discere posse, maxime cum de characteribus seu de hominum moribus agitur. Natura enim in pueris, in adolescentibus, in viris, in senibus, in pauperibus, in nobilibus semper eandem se prodit, atque avaris, cupidis, iratis, superbis ceterisque aliqua perturbatione agitatis viris spiritus idem semper est et consuetudo. Quare ab auctoribus qui naturae multum studuerunt, maxime ediscere possumus quid cuique rei et personae tribuamus.

Verum ex illustrium auctorum exemplaribus non res ipsas, sed optimum imprimis naturam imitandi modum opportune ad rem nostram exprimemus : nam nullus auctor, sed sola natura imitationis exemplar esse debet. Itaque in auctoribus artem imitandi naturam diu multumque commendabimur, eandemque ad institutum nostrum, prout rerum personarum et locorum conditio postulabit, apposite deducemus.

209. Variæ imitandi rationes in scriptionibus.

1. *Primus modus* est quasi duplex interpretatio. Verendus scilicet est locus aliquis, Ciceronis exempli causa, in sermonem vernaculum, quem, interposito spatio, convertas in latinum ; mox quod a te scriptum fuerit, conferes cum ipso loco Tulliano, atque ex illo emendabis.

2. *Alter modus* est, egregium insignis scriptoris locum bis terque attente legere ; mox, relicto libro, eadem nos scribere conari, ut deinde nostram dicendi rationem cum optimo exemplari conferamus. Qua in re iuvat plurimum si

- a) vel alterius sententias nostris verbis adornemus,
- b) vel sententias nostras alterius sermone induamus,
- c) vel tandem, quod est praeclarius, sententiam elocutionemque probati scriptoris aemulari nitamur.

3. *Tertius* est, non aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare, ut ex industria sumamus sententias quasdam easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera aliae aliaeque formae duci solent. « Innumerabiles enim sunt modi plurimaeque eodem viae ducunt. Suae brevitati gratiae, suae copiae, alia translatis virtus, alia propriis, hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas » (Qt. X, 5).

Hi et alii imitandi modi, non quidem contemnendi neque infructuosi sunt si prudenter magistro moderante fiant. Sed hac in re minuta quaeque praecepta obsunt potius, quam prosunt discipulis : adimunt enim excogitandi libertatem et ingenium quibusdam veluti catenis coercere. Audeant aliquid suo Marte etiam adolescentes, quod postea magistri iudicio temperent vel corrigant.

210. Quid generatim de imitatione auctorum tenendum.

Ex dictis, hoc cum Quintiliano (X, 2) ante oculos habeamus : imitationem utilem quidem esse ac necessariam ; sed ante omnia per se ipsam non sufficere, « vel quia pigri est ingenii contentum esse iis, quae sunt ab aliis inventa ».

« Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris. Nam rursus quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur ? ... Nihil enim crescit sola imitatione. Quod si prioribus adicere fas non est, quomodo sperare possumus illum oratorem perfectum ? Cum in his, quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur.

Sed etiam qui summa non appetunt, contendere potius, quam sequi debent ... : necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur.

Adde quod plerumque facilius est plus facere, quam idem ... Adde quod quidquid alteri simile est, necesse est minus sit eo quod imitatur, ut humbra corpore, et imago facie, et actus histrionum veris affectibus ...

Adde quod ea quae in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt : ingenium, inventio, vis, facilitas et quidquid arte non traditur ...

Quapropter exactissimo iudicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia :

- a)* Primum, quos imitemur ...
- b)* tum in ipsis quos elegerimus, quid sit ad quod nos efficiendum comparemus » (seu quid sit imitatione dignum) ;
- c)* tandem quatenus imitari liceat : consulendae enim sunt propriae vires ; nam quaedam sunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturae non sufficiat, aut diversitas repugnet.

Unde patet non esse nobis in una imitatione sistendum, sed, per imitationem instructos et ad artem paratos, quae artis sunt quaeque a cuiusque nostrum ingenio, ducibus natura et arte, veniunt, audacter nos aggredi debere. Non enim imitatio ingenii aciem motusque intercludit vel restinguit, quin etiam dirigit excolitque.

CAPUT IV

DE NONNULLIS SOLUTAE ORATIONIS GENERIBUS

211. Operis nostri ratio hac de re.

Vidimus iam quodlibet scriptionis genus peculiarem dicendi formam, seu proprium pulchri exprimendi modum sibi vindicare. Veniunt igitur hic varia recensenda genera scriptionum, oratorium, didascalicum, historicum, quibus explicandis veteres « artes rhetoricae vel dicendi » maximam operam insumebant.

Sed cum ratio illorum contexendorum sit nunc non parum immutata, non hic, ut antea, in illis tradendis tam immorabimur. Etenim eloquentia cum sacra tum profana non iam tanto artificio componitur; historiae scribendae ratio alia omnino est atque illa, quae vel Medio Aevo vel aetate quam vocant « Renascentiae » vigebat; idem dicas de tota re hagiographica deque aliis generibus scriptionum.

Adde quod, cum fere cesserit latine scribendi consuetudo, non est locus tradendi de mortuis praecepta.

Quare prudenti consilio quaedam dicenda putamus de iis latinarum scriptionum generibus, quae in usu adhuc sunt et erunt valde laudabiliter. Ac primum de genere epistolari, erudito et familiari, agemus, quod nostra quoque aetate adhibendum et promovendum inter doctos viros. Dein pauca de stili ratione in genere didascalico in universum, et in re historica. Et denique de inscriptionibus absolutius etsi breviter, cum sit genus latinae scriptionis adhuc usurpatum et usurpandum omniumque difficillimum.

Art. I. GENUS EPISTOLARE

§ 1. *De epistolis eruditis* ¹

212. Epistolarum eruditarum natura et usus.

Epistolae eruditae sunt quae tum instruendi solum causa, tum docendi etiam modo apertius exarantur. Oriuntur autem ex familiaribus et cum illis conveniunt in voluntate communicandi cum aliquo vero fictove amico, aperte et quasi familiariter, mentem nostram de variis scientiarum artiumque argumentis, et tractationis locum tenent.

Quamquam autem in hoc epistolarum genere praeter quosdam dicendi modos epistolarum proprios, et festiviorem stili rationem, praecepta omnia a consueta artes tradendi methodo petuntur; tamen, si epistolae dignitatem tenere velimus, certo etiam docendi modo litteris accomodato utemur.

Scripserunt latine epistolas philosophicas Seneca, Mars. Ficinus, alii; theologicas S. Hieronymus, S. Augustinus, Romani Pontifices, alii; philologicas A. Manutius, Iustus Lipsius, Ianus Parrhasius, H. Lagomarsinus, alii; criticas duo Scaligeri, I. Casaubonus, Salmasius, Lipsius, C. Calcagninus, Gruterus, Bentleius, alii; mathematicas Berneggerus, Keplerus, alii; iuridicas Greg. Majansius hispanus; historicas Scipio Maffeius describendo « Galliae antiquitates », Grotius, alii. Quos auctores consulat saepe repetatque qui eruditas epistolas scribere velit.

213. Quid in huiusmodi epistolis requiratur.

Ut huiusmodi epistolae re et verbo dicantur litterae, *necesse est ut epistolarum naturae obsequantur* :

- a) tum *ipsa materia*, quae talis esse debet, ut in utramque partem disputari facile possit, idque nec acute nec nimis graviter: nam argumentum certum, disserendi

¹ De hisce epistolis, quae elapsis saeculis apud eruditos tantopere in usu fuerunt, pauca, *historice* potius, dicemus.

varietatem amoenitatemque epistolae tollit; subtilitas aut nimia gravitas veram tractationem, non epistolam faciunt;

- b) tum *partes earumque dispositio*: eadem enim erunt, quae in familiaribus epistolis, a quibus hoc tantum differunt, quod non de privato aliquo vel publico negotio, sed de aliqua artis, scientiae vel historiae parte agunt;
- c) tum *maxime universa stili ratio*: ipsa enim rerum dispositio nullum apertum artificium patitur; immo argumenta omnia, explicationes, difficultates consueto familiariter colloquentium modo proponi debent: oportet enim epistolam, etsi ad docendum scriptam, suae naturae gratias praeferre. Ex quo fit, ut epistola erudita a ceteris docendi formis stilo potissimum differat, nam non solum omnes ceterarum litterarum proprietates, sed ipsos iocos, sales et facetias admittit. Meminerimus tamen nos ad familiares revera non scribere, sed ad eruditos homines, quos fere numquam cognovimus: in his igitur epistolis paulum temperandum est ab iis dicendi modis, quos cum amicis coniunctisque liberius adhiberemus.

§ 2. *De epistolis familiaribus*

214. *Epistolarum familiarium natura, divisio, ordo.*

1. Non omnia hic tractabimus, de quibus solent fuse et apte dicere variae « artes epistolicae », quaeque etiamnum non inutiliter discerentur. Pauca ergo dicemus, quae ad latinas epistolas, congruenter antiquae nostraeque scribendi consuetudini conscribendas, nobis auxilio esse possint.

2. *Epistola* igitur *familiaris*, pro diversitate rei de qua agitur et personarum ad quas mittitur, est:

- a) vel *communis*, si de rebus privatis et ad privatas personas vel inter procures mutuo scribitur. Eius materia sunt res eadem quae privatis hominum consuetudine et colloquio aguntur: nimirum res enarrare, quas nostra vel aliorum interest scire, aliquem commendare,

consilium petere vel dare, rem postulare, gratias agere, fausta precari, gratulari, consolari, condolere, hortari, dehortari, laudare, reprehendere ;

- b) vel *gravior*, si ad magnos viros aut de rebus paulo severioribus mittitur. Eius autem materia eadem est atque epistolae communis, sed ex adiunctis praesertim personarum et ex negotii vel officii magnitudine induit quandam gravitatem tum quoad sententias tum quoad stilum. Utraque vero epistolarum ratio, quod maxime curandum, maiore, quam in privato colloquio, temperari debet prudentia, modestia, verecundia, urbanitate.

3. *Ordo* autem in epistola is erit, quem ipsa natura rerum nobis suggeret ; itaque in responsionibus, ut plurimum, eadem seriem, quam secutus est scriptor, deligamus.

4. *Conclusio epistolae* potest esse :

- a) vel *propria*, quae ex ipsa re nascitur, v. g. in epistola gratulatoria, conclusio vel votum aliquod, vel cohortationem, vel aliud huiusmodi complectetur ;
- b) vel *communis*, quae variis epistolarum generibus accommodari potest ; cuius modi est officiorum communicatio, commendatio valetudinis, amicorum salutatio, flagitatio responsionis, similia : in quibus omnibus et res ipsa, de qua scribitur, et decorum personarum attendendum est. Inepte enim quis post acrem reprehensionem consuetis comitatus officiis molliter concluderet ; inurbane autem qui gravibus hominibus mandata daret (nisi forte ex necessitate et implorata venia incommodi). Conclusionum formulae sint non Cicero-
nis aevo, sed nostris moribus accomodatae.

215. Epistolarum familiarium stilus

mixtus esse debet

ex tenui et venusto, seu familiari sermone paulo accuratior, sed dictione elaborata remissior. Attamen potest, immo debet, interdum attolli, cum vel rei gravitas, vel personarum conditio id exposcit.

Dos autem huiusmodi stili praecipua exigit, ut genus dicendi sit ubique moratum, ut nimirum epistola revera

privata referat hominum colloquia, licet sit in sententiis castigatior, adornatior in verbis. Qui character moratus (seu mores aptos convenientesque affectus personis tribuens) adeo est necessarius, ut si absit ille, epistola esse desinat : quare qui de rebus gravissimis subtiliter disputant, non epistolas, sed tractatus potius scribere dicendi sunt, ut sunt epistolae Senecae.

Pro varietate tamen epistolarum *varianda* est et *ratio dicendi*. Iocosae enim et valde familiares, « quotidianis exarantur verbis » (*Fam.* IX, 21) ; itaque in his epistolis nimia cura, quae apparet in P. Manutio et aliis scriptoribus saeculi XVI praesertim, improbatur. Hortatoriae, expostulatoriae et huius generis aliae concitato feruntur stilo (cfr. *Fam.* l. III integrum) ; commendatitiae autem et petitoriae mediocrem ; civiles et quae ad magnos viros scribuntur, gravem dicendi rationem postulant.

216. Epistolarum familiarium virtutes seu proprietates.

Hae fere sunt :

- 1) *simplicitas* ; in quadam nuda et naturali rerum expositione consistit, sed tamen non excludit neque festivas dicendi formas, neque metaphoras aut figuras parce adhibitas ;
- 2) *facilitas*, seu dicendi ratio, quae ita res describit, ut, etsi graphice omnia depingantur, nullum tamen adpareat studium. Hinc *perspicuitas*, ut nihil laboris afferatur legentibus. Neque tamen necesse est, ut omnis, in cuius forte manus litterae nostrae incidant, intellegere eas possit, sed ut is, ad quem datae sunt ;
- 3) *venustas* et *urbanitas* quibus non modo caventur vitia sermonis (neglegentia in orthographia et interpunctione ignorantiam vel exiguam observantiam arguit) atque rudiora verba et plebeia vel humiles dicendi modi, sed ad puritatem accedit naturalis quaedam et non quaesita elegantia ex structura verborum et ornamentis stili minime splendidis ; humanitatis praeterea et comitatis significationes adhibentur, quae tamen miscendae sunt gravitate atque interdum severitate ;

- 4) *brevitas* (commendanda maxime in epistolis ad viros nobis non familiares, dignitate conspicuos, negotiis oneratos) qua praeceduntur exordia et conclusiones, quas nec argumentum nec humanitas postulat; vitatur amplificatio per synonyma et minus necessaria epitheta; argumenta strictim ut in colloquiis proponuntur, eodemque modo facta narrantur. Non sint tamen aridae et exsanguis, multo etiam minus ita concisae, ut interprete egeant. Familiares et iocosae profecto longiores esse possunt et solent.

217. Cuiusvis epistolae proprium est, ut suum servet habitum seu convenientiam.

« Fabius existimat, eum optimum dicendi genus sequi, qui pro re, pro loco, pro tempore, pro qualitate auditorum quam appositissime dicit: ut inepte faciant, qui dictionem ad certas leges adstringunt.

Itidem et ego eam epistolam optimam iudico, quae a vulgato hoc et indocto litterarum genere quam longissime recedat: quae sententiis exquisitissimis, verbis electissimis, sed aptis constet; quae argumento, loco, tempori, personae, quam maxime sit accomodata; quae amplissimis de rebus agens, sit gravissima, de mediocribus concinna; de humilibus elegans et faceta; in iocis acumine delectet ac lepore, in encomiis apparatu, in exhortando vehemens sit et animosa, in consolando blanda sit et amica, in suadendo gravis sit et sententiosa, in narrando lucida et graphica, in petendo verecunda, in commendando officiosa, in rebus secundis gratulabunda, in afflictis seria.

Denique (ne quae sunt infinita persequar) sit versipellis, ac, quemadmodum polypus semet ad omnem subiecti soli habitum, ita sese ad quemvis argumenti reliquarumque circumstantiarum habitum attemperet. Neque enim rei solum obsecundabit epistolae stilus, verum... temporum personarumque rationem habebit: nec eadem de re quovis tempore, nec apud quosvis loquetur: alia specie sese offeret senibus, alia iuvenibus, alia tetricis ac severis, alia iis qui festiviore sunt ingenio, alia aulicis, alia philosophis, alia familiaribus,

alia ignotis, alia vacuis, alia negotiosis, alia fidis sodalibus, alia fictis amicis ac parum bene volentibus »¹.

218. Quid dicendum de epistolarum titulis.

Sicuti in *complicandis obsignandisque* epistolis, in *inscribendis* earum involucris, in epistolis vehiculario *pittacio muniendis*, et in aliis rebus huiusmodi tenenda omnino est probata nostrorum temporum consuetudo, quae tantum valet, ut etiam cum latine scribimus, eum in his omnibus modum usurpare debeamus, qui a barbarie et novitate alienus, antiquitatis tamen adfectione non reprehendatur.

« Antiqui — ait Heineccius² — nullo titulorum symmate onerabant alios, sed litteris haec praemittebant : ” M. T. Cicero Volumnio S. P. D. ”. Postea saepe addebant : ” suo ”, ut : ” C. Caecilius Plinius Arrio suo S. P. ”.

Denique et alterius nomen suo, honoris causa, praemittere solebant, veluti : ” Arrio suo C. Caecil. Plinius S. P. D. ”, idque diu in vitio positum esse novimus quasi assentationem saperet. Hinc Ausonius (Epist. 20) Paulini praeponens nomen, id metri necessitati excusat ». Tamen et Martialis (praefat. ad l. VIII), et Iulius Capitolinus in Gordiano tertio, in Maximo et alias, et Ausonius ipse in prima « praefatiuncula » nomina postponunt sua, etsi plerumque anteponunt.

Quare nihil certi constitui potest ac definiri.

Itaque in re dubia consilium, quod minus censurae obnoxium videtur, amplexandum arbitror, si vetus mos retineatur :

- a) cum videlicet ad familiarem aliquem latine scribimus, veterum more nomen proprium anteponitur, et titulis omissis, brevis illa adicitur salutatio : S., vel S. P. D. ;
- b) si autem viris magnis scribimus (doctis praesertim) eorum nomen, ut iam Iustus Lipsius et Heineccius monuerunt, praepositum, sine titulis plerumque ; sic semper Fronto imperatoribus scribens.

¹ ERASMUS, *De conscribendis epistolis*, ubi « de habitu epistolae » agit.

² *Fundamenta stili cultioris*, P. II, cap. I, n. XIII.

At, cum nos latinitatem et doceamus et promoveamus, non autem formulas appellandi et salutandi, quae commutatis temporibus mutantur, non esse omnino improbandam putamus, immo retinendam recentiorum linguarum consuetudinem praemittendi, in inscriptionibus epistolarum et in epistolis ipsis, titulos quosdam benevolentiae, studii, aestimationis, desiderii, etc., in casu vocativo, dummodo haec omnia *latine* fiant, et modus etiam adhibeatur. Hoc valet magnis praesertim viris scribendo, ne illorum dignitatem supercilio scholastico despicere videamur: v. g.

« *Desideratissime (optatissime, carissime ...) amice; frater dilectissime* »

« *Vir (domine, magister ...) illustris, illustrissime; amplissime, colendissime vir* »

« *Reverende (-dissime) Domine vel Pater* »

« *Princeps excellentissime* »; « *Eminentissime Princeps (Cardinalibus)* »; « *Beatissime Pater (Pontifici Maximo)* », etc.

Si vero stilo *curiali* sint documenta quaedam vel epistolae exaranda, formulis propriis et consuetis ea incipiendi et concludendi indulgeatur; at corpus documenti *latine* exaretur.

219. Salutationum formulae in conclusione epistolarum.

Ad litterarum calcem, si hae familiares communes sunt, apponere possumus vel tantum veteres salutationum formulas (praesertim si etiam initio epistolae veterum morem simus secuti) ut sunt: « *vale; vale et salve; vale mi frater; vale, vale et salve; etiam atque etiam vale; cura ut valeas; fac valeas; fac valeas meque mutuo diligas; iterum iterumque vale; valete mea desideria, valete* », etc. (CIC.); vel alias a christianis et religiosis hominibus usurpatas usuque receptas (quae cum sint in Libris et Scriptoribus sacris adhibitae, magis christianum hominem decent, nec latinitati repugnant):

« *Vale in Domino; vale in Christo; cupio te valere in Christo* »

« *Opto ut valeas in Domino; incolumem te et memorem mei Christus Dominus noster tueatur omnipotens* » (S. HIER.)

- « *Vale et nos (me) dilige, quia nos (ego) te diligimus (diligo)* »
 « *Valete. Incolumes vos et florentissimos Deus noster tueatur omnipotens, Domini fratres dilectissimi* » (S. AMBR.)
 « *Vale et me Deo (Christo, Deiparae, Virgini Matri ...) enixe (etiam atque etiam, maiorem vel maximum in modum, magnopere ...) commenda; vale, et precibus tuis mihi Deiparae (Dei ...) gratiam concilia* »
 « *Vale, meque Deo ... habeas commendatum, vel: meque Deo, ut soles, magnopere commenda; vale, meque Deo sacrum operaturus commenda* » et similia
 « *Tuis sanctissimis pedibus provolutus tuam mihi paternam apostolicam benedictionem imploro* » (ad summ. Pontif.), etc.

Nec aliae sunt hic afferendae formulae, cum iam latinae epistolae nonnisi fere inter litteratos et ecclesiasticos viros mittantur. Ceteri omnes ignorant hanc linguam, quae fuit per tot saecula vehiculum unicum scientiarum et epistolaris commercii inter doctos cuiusvis nationis.

Estne hoc progredi an regredi?

220. Quaedam praeterea observanda in epistolis.

1. Mos erat antiquorum, ut vidimus, scriptoris nomen in fronte epistolae inscribere, ut continuo quis cui scriberet, sciretur: v. g. *M. T. Cicero Volumnio S. P. D.* Recens autem consuetudo vult ut in fine epistolae subscriptio ponatur. Item nomen urbis vel pagi in casibus genitivo vel ablativo, et notam temporis, diei mensis, et anni, in fronte adscribemus, morem in hoc recentiorum communioem secuti.

2. Quoad vero temporis notam, non eos improbaverim qui brevior, clarior universisque lectoribus longe notior dies mensium numerandi rationem recentiorum sequuntur: neque enim video, longior illam Calendarum Nonarum, et Iduum variam et volaticam circuitiorem e priscis Romanorum moribus aut ullum latinae linguae nitorem et venustatem, aut par ipsarum anfractui afferre compendium.

3. Item veterum consuetudo usurpandi in stilo epistolari imperfectum pro praesente et plusquamperfectum

pro perfecto, ea ratione ut scriptor mente transferretur ad tempus (ea aetate longius), quo litterae ab illo, cui missae essent, legerentur, hodie, cum paucissimi tantum dies vel horae scriptorem inter epistolae et lectorem intericiantur, non absurde negligi potest.

4. Mos pariter erat antiquorum in epistolis alios, cuiusvis fuerint gradus ac dignitatis, per pronomen « *tu* » (et derivatum ex illo pronomen possessivum « *tuus, tua, tuum* ») compellare, ut videre est in Frontonis epistolis ad romanos Imperatores.

Quare *locutiones abstractas*, quas vocant, imitatione recentiorum linguarum inventas, ut « *Dominatio vestra, vestra Serenitas, Celsitudo, Nobilitas, Amplitudo* », etc., minus fortasse latino stilo congruentes, melius reiciemus, earum loco has sufficientes : « *vir, domine amplissime ; princeps, rex, imperator celsissime, serenissime, etc. ; pater, antistes, cardinalis amplissime, reverendissime, excellentissime, eminentissime, etc. ; Beatissime vel Sanctissime Pater* (SS. Pontificem alloquentes) ». Tametsi, ad « ecclesiasticos » praesertim viros scribentes, probatam Ecclesiae consuetudinem sequi possumus (et forte debemus).

5. Eo minus probandae sunt locutiones : « *vestra devotio, discretio, gratia ; perennitas vestra* » (SEXT. RUF. *brev. 2 ad Imper.*), etc. ; vel quas, extenuandi causa, post Val. Maximum (in Proëmio), scriptores posterioris aevi, maxime christiani, frequentarunt, ut « *mea parvitas* » (VAL. MAX., S. HIERON., etc.) ; vel denique formulae illae alios tertia persona compellandi, ut « *iussit me excellentia vestra ... ; sciat ergo amplitudo tua ...* », etc.

Aliena haec omnia sunt a latinae linguae indole et non necessaria cum, non minore reverentia, dicere possimus : « *qui es discretissimus, urbanissimus vir ... ; qui sum minimus, humillimus hominum ... ; pro tua discretione, pro mea parvitate, qua es urbanitate, quam sum ... ; me iussisti, excellentissime vir ... ; scias ergo antistes amplissime,* » etc.

Ceterum, hic etiam curiales hae formulae, ubi vigent, retineantur.

6. Lagomarsinus praeterea, scribens Cardinali Quirinio, « scrupulum » exponit super adhibendis maiusculis vel mi-

nusculis litteris in pronomibus *Tu, Tui, Tibi, Te, Tuus-a-um*, etc. quando magni viri compellantur. Rationes affert bonas pro minuscularum usu¹; attamen in hoc etiam aliquid est concedendum consuetudini.

7. Hoc unum omnibus videtur suadendum, ut in epistolis exarandis, una (vel recentiorum vel antiquorum) ratio eademque sibi perpetuo similis plerumque servetur. Ac denique tandem, maiusculis ne, an minusculis litteris quis utatur; in exordio epistolarum an in exitu nomen edat suum, anteponatne illud postponat et sic de reliquis, non moror, modo latine scribat et eleganter.

*Art. II. DE STILI RATIONE IN RE DIDASCALICA IN UNIVERSUM*²

221. Stilus in docendo generatim.

Nostrum hic non est de artium disciplinarumque partitione, de indagatione veritatis, de rerum ordine et opportuna explicandi ratione seu methodo et similibus agere, sed quaedam dicere de stili ratione generatim in re didascalica.

Stilus igitur in docendo « nudam proponere debet veritatem, eamque certis rationibus accurate confirmare: nec tamen omnem stili gratiam respuit. Non solum enim maxima perspicuitate, multa facilitate et accomodata brevitate ille nitere debet, sed sobria quadam urbanitate et occulta elegantia temperari.

Non unus autem est stilus in scriptis didascalicis, sed diversus pro rerum atque auditorum diversitate. Alius enim est servilium seu mechanicarum artium stilus, alius liberalium; tum alius scientiarum, alius earum rerum, quae ad morum sanctitatem a viris doctrina et pietate praestantibus traduntur ».

¹ Lagomarsini verba invenies in A. SPRINGETTI, *Selecta latinitatis scripta auctorum recentium (saec. XV-XIX)*, pp. 181-182.

² POLCARI, *op. cit.*, pp. 115 sqq., ex quo plura, eleganter et apte dicta, fere exscribimus.

222. Artium servilium stilus.

Serviles artes (ut fabrica, pistoria, agricultura, pastoria, etc.) quae saepe ab ingenuis hominibus praeceptis exponi solent, unam illam sed praecipuam optime erudiendi virtutem exposcunt, ut nimirum sententiae sint accuratae, verba maxime propria, dicendi modi usitatiores: ita ut revera instruere, non vero delectare scriptor videatur.

Itaque, ut foeda quorundam neglegentia est culpanda, sic reprehendenda etiam aliorum affectatio, et turgidi vel nimium ornati stili genus, quo profecto exaratum est Io. B. FERRARIi opus *De florum cultura*.

223. Artium liberalium stilus.

Artes vero liberales seu politiores, ut grammatica, rhetorica, poëtica, musica, pictura, cetera, duplici sane ratione tradi possunt:

- a) vel ut adolescentibus in scholis explicentur a magistro: quae concisum potius stilum postulant, ut et a discipulis, quorum ingenium acuant, facilius retineantur, et magistris ipsis longe lateque res exponendi occasionem praebeant. Itaque haec scripta, praeter breve aliquod exemplum aut similitudinem, omnem exquisitum ornatum respuunt, verborum proprietate et ingenuo quodam dicendi nitore contenta;
- b) vel ut a provectioribus viris publice aut privatim legantur: tunc elegantiores etiam stilum admittunt, communes et tenuiores metaphoras usurpant, ornantur figuris, quae rerum veritati respondere possint, neque semper reiciunt amplificationem, quae sit omnino gravis solum rei affirmatio. Quin et graphicae quaedam descriptiones et appositae in loco digressiones lectorum vel auditorum animos allicere ac erigere solent. Ornamenta vero praecipua sunt ex historiis exempla, aptae similitudines, explicationes peculiaris usus rerum, quae traduntur. Loci facetiaeque ad rei decetiam moderentur.

224. Scientiarum stilus.

Hic pariter, quae in scholis sunt praelegenda, perspicue et proprie sed breviter; quae vero sunt versanda privatim, diserte etiam et, quantum deceat, ornate scribantur.

Tamen in politioribus artibus venustas, in scientiis praesertim gravitas elucebit. Quae gravitas et temperatum stili cultum et verborum proprietatem ac urbanos et civiles dicendi modos maxime admittit.

Metaphorarum autem usus, nullus fere erit in rerum natura et proprietatibus explicandis; temperatus in ceteris tractationis partibus, in quibus nullum prope est periculum nocendi accuratae rerum intellegentiae.

Cum vero de scientiis, quae mores spectant, agitur, vel religiosae civilesque sunt, plusculum indulgebimus metaphorarum figurarumque ornamentis; in moribus enim et in rebus religiosis aut civilibus tum ipsa verba maxime accommoda ex metaphoris saepe ducuntur, tum rebus sensilibus sunt erudiendi et retinendi animi.

225. Stilus purus ac tersus docentes decet, non siccus et barbarus.

« Cave ergo existimes, docentium esse stilo sicco et barbaro uti. Non magis hic character docentes decet, quam philosophum pallium et pera Diogenis. Non unguenta redolent viri sapientes, sed nec sordes amant.

Non ferendi ergo in tanta litterarum luce, qui in theologicis vel philosophicis disciplinis tradendis, latinae linguae puritate atque elegantia omnino neglecta, barbaro atque exotico stilo utuntur. Docuerunt sane quamplurimi nostrorum temporum posse de rebus etiam theologicis puro ac terso orationis genere disseri. Feliciter idem in iuris prudentia tentarunt CUIACII, BRISSONII, HOTOMANI, qui Ulpianum et Papinianum, quam Iasonem vel Accurtium maluerunt imitari. Medicos CELSUS purius scribere docuit, philosophiam pene innumeri elegantissime pertractarunt. Quis ergo hodie in tanta litterarum luce umbratiles doctores imitaretur, et fruge reperta, glandibus vesci mallet? »¹.

¹ HEINECCIUS, *Fundam. stili cult.*, P. I, c. 2, n. LVI.

226. Qui stilus in libris de morum religionisque informatione adhibendus?

Libri qui ad morum religionisque informationem pertinent, dummodo pure et emendate scribantur, indita rerum gravitate se ipsi commendant. A stili igitur luxu maxime abhorrent, quippe qui naturali pulchritudine virtutis propria adornantur; elegantiae autem studium, nedum affectationem, omnino aversantur. Qui enim huiusmodi res graviter et decore tractant, unice student ut rerum ipsarum utilitate et dignitate hominum animis se insinuent, intimosque cordium recessus penetrent: quod non fit nisi quadam caelitus infusa sapientia, qua illi informantur, qui doctrina simul et pietate praestant.

In his libris conscribendis stili flores non quaerendi sunt, neque tamen illi contemnendi nativi colores, quibus virtus aut vitium describuntur, ut unius amor, alterius odium animis penitus insideant. Figurae autem, metaphorae ac venustiores dicendi modi tantum adhibeantur, quantum pietatis et virtutis affectum non restinguant, sed inflament: in horto enim arbor pulchris frondibus vidua sed onusta fructibus pulchrior est, quam arbor ornata foliis sed vacua pomis: pulcherrima tamen quae utrisque honestatur.

227. Artium scientiarumque scriptores latini laudandi.

CICERO, in *De Officiis*, *Topicis*, *Partitionibus oratoriis* praesertim, nam in aliis, oratoriis modis nimis fortasse indulget; VITRUVIUS in architectura, CELSUS in medicina, COLUMELLA in agricultura, PLINIUS (cuius stilus tamen non semper purus est et nativus) in scientiis variis, QUINTILIANUS in rhetorica, SENECA in philosophia de moribus (stilus eius est vividus, sed adfectatus et saepe obscurus).

Post renatas vero litteras plures ita prorsus scripserunt, ut ipsa Ciceronis vestigia eos pressisse manifeste appareat. Ita, bene de pictura et architectura LEO BAPTISTA ALBERTI, egregie BRANDOLINUS *de ratione scribendi*, HIER. VIDA *de Republica*, HIER. FRACASTORUS *de astronomia*, *sympathia*, MORGAGNIUS *de re anatomica et medica*, item LANCISIUS, RAMAZZINI, FERNELIUS IOANNES plurimique alii medici; in scientiis ROGERUS BOSCHOVICH, FRANC. M. ZA-

NOTTUS, EUST. MANFREDIUS pluresque alii quorum scriptas investigationes habes in *Commentariis Accademiae Scientiarum Bononiensis*, ad medium usque saeculum XIX productis. Brevi, scientiae et artes fere omnes latine (eleganter saepe, apte perspicueque semper) ad saeculum usque elapsam traditae et pertractatae sunt. Nec omitti potest ac debet STEPHANI MORCELLI opus *De Stilo inscriptionum*, numquam satis laudatum, LAGOMARSINII elegantissima descriptio Codicum plusquam quadringentorum ex quibus editionem criticam operum Ciceronis paraverat, HENRICI VALESII opus *Emendationum et De Critica*, cet.

De rebus denique omnibus novisque inventis apte et proprie dissertum est latine maxima doctorum omnium gentium utilitate. Ex quo etiam eruitur flexibilem adhuc esse linguam latinam ad omnia apte exprimenda, neque omnino oportere novas absurdasque linguas excogitare, cum ad omnia aptissima exstet latina.

228. Scriptores latini probabiles in rebus sacris.

Multi sunt harum rerum scriptores, qui non solum divina prorsus doctrina, sed probabili etiam, immo optimo dicendi genere celebrantur.

De *rebus theologicis* pereleganter scripserunt MELCHIOR CANUS, PETRUS IO. PERPINIANUS, PETRUS FONTIDONIUS, MICHAEL DE MEDINA, MARTINUS PEREZIUS AYALA, IAC. GIBERTUS DE NOGUERA, REGINALDUS PHOLUS, Cardinales HOSIUS et SIRLETUS; DIONISIUS PETAVIUS, plurimi Patres et Theologi Concilii Tridentini et generatim saeculi XVI. Aurea latinitate conscriptus est « *Catechismus Romanus ad Parochos* ». Recentius eleganter scripserunt CONCINA, MAMACHIUS, NOCETI, TRIVELLATO, PERRONE, A. BALLERINI, PASSAGLIA, D'ANNIBALE, KLEUTGEN ...

Sacrarum enarratores Scripturarum pariter plurimi dantur, qui res impeditissimas ciceroniana elegantia felicissime expediverunt, ut BENED. PEREIRUS, HIER. OSORIUS, IO. MALDONATUS, IAC. SADOLETUS, Card. SERIPANDUS, BEN. ARIAS MONTANUS, HUETIUS, COSMAS DAM. HORTOLANUS; recentius FRANC. PATRIZI, ARN. PARENTI, alii.

De *re ascetica* egerunt elegantissime HIER. OSORIUS

(*De vera sapientia, De nobilitate christiana, etc.*) ; HIER. PLATUS (*De bono status religiosi*) ; IACOMELLI qui eleganter vertit duos Benedicti XIV tractatus (*De Missae sacrificio, De festis Sanctorum*) ; DREXELLIUS, CRESSOLIUS, NIEREMBERG, MARCHETTUS, LE GAUDIER, MASENIUS, alii multi post saec. XVI. Plures praeterea exstant Summorum Pontificum, post Leonem XIII, *Litterae Encyclicae* puro ac terso sane latino genere dicendi exaratae.

Art. III. DE STILI RATIONE IN RE HISTORICA

229. Quis historiae stilus esse debeat.

Cicero haec habet de historiae stilo : « Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum (i. e. facile fluens et expeditum) et cum lenitate quadam aequabiliter profluens sine hac iudiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est » (2 *De Or.* 15, 64).

Quintilianus autem haec : « Historia non tam finitos numeros, quam orbem quemdam contextumque desiderat. Namque omnia eius membra connexa sunt, quoniam lubrica est ac fluit, ut homines, qui, manibus invicem apprehensis, gradum firmant, continent et continentur » (Lib. IX, 4).

Quare uno perpetuoque tenore duci debet historia, nec indigesta monumentorum et testium recitatione farciri vel crebris subscribi notis. Afferri quidem possunt monumenta et testimonia, sed ita ut unum historiae corpus conficiant, ita ut lectio possit esse expedita.

Singulae tamen historiae partes colore illo inducantur, qui maxime cuique rei conveniat : nam sicut tota historia pure emendate et eleganter scribi debet, ita eius singula membra vario, pro rerum natura, stili genere exarentur oportet. « Is optimus historiae scriptor habetur, qui narrationem personis, animoque movendo aptatis figuris, ita conformat, ut picturam referat » (PLUTARCHUS, *De Glor. Athen.*).

230. Quae et quomodo adhibenda sunt in historia ornamenta.

Ea videntur esse historiae ornamenta, quae cum nuda rerum gestarum expositione sic connectuntur, ut haec ma-

iolem perspicuitatem et vim acquirat. Nam si maior inde perspicuitas ac vis absit, quidquid ad pompam additur super-
vacaneum est, et ut rerum variationem retardat, sic histo-
riae fructum impedit. Scribendi enim ratio concisa aequae ac
plena in historia placet; diffusa non item, prolixa est omnino
vitiosa.

Sunt autem praecipua historiae ornamenta:

- a) *descriptiones* (regionum, civitatum, pugnarum, etc.),
vivae tamen et efficaces, fideles et accuratae;
- b) *apposita notitiae* de regionum vel civitatum moribus,
artibus, scientiis, etc.;
- c) *prosopographiae* hominum insigniorum, seu descriptio-
nes totius corporis illorum habitus: raro tamen et
parce; sicuti etiam *ethopoeiae* seu breves et accuratae
animorum morumque hominum insigniorum picturae;
- d) publicarum rerum et morum ac religionis *iudicia et
sententiae* ex ipsis narrationibus deducta, quaeque
scriptoris prudentiam, consilium, virtutem, gravitatem
ostendant; intra tamen historiae limites, praeter om-
nem ostentationem et periculum satietatis. Saepe iam
sola rerum narratio, apta et morata, plus movet quam
nimis crebra et studiosa sententiarum acumina. Cete-
rum hac in re ingenio scriptorum et rerum naturae est
aliquid indulgendum;
- e) *digressiones*, non tamen crebrae vel longiores, sed utiles
et cum re connexae, ad quam reditus aptus fiat et con-
cinnus. Recens autem historiae tractatio recte respuit
confictas illas a scriptore ipso conciones, quae in deliciis
erant veteribus recentioribusque historicis.

231. Annalium, Chronicarum, Vitarum stilus.

1. *Annales* sunt libri, in quibus perscribitur quid quoque
anno accadat in republica, res gestae tum belli tempore tum
pacis, victoriae, honores, templorum vel monumentorum
dedicationes, magistratum creationes et nomina, atque
omnia, quae maiori memoria videntur digna.

Eorum autem stilus sit purus et simplex, sine ullo artis
colore. Si vero ab antiqua forma recedunt, tanto maiora

artis et stili ornamenta admittunt, quanto ad historiae rationem propius accedunt.

2. *Chronica* sunt quae res adnotant nude et simpliciter eo ordine, quo evenerunt. Veterum chronica plurium gentium (non unius, ut annales) res certo temporum ordine exponebant; at Media potissimum Aetate — in qua ad mille numerantur — saepissime historiam Religiosorum Ordinum, Coenobiorum, Urbium, Regnorum, etc., narrabant.

Quaecumque tandem sint chronica, simplici nudoque ornamentis sint stilo, at puro semper et perspicuo.

3. *Vita* est descriptio vitae hominis alicuius, ingenio vel virtute insignis. Recentiores eam novo graeco vocabulo *biographiam* vocant.

Nihil hic de dotibus vitarum scriptoris, de diligentia, doctrina, experientia, iudicio; nihil de materia in congruas sibi partes dividenda et qua ratione.

Id unum monemus: perpetuum scriptoris studium esse *fidelem et plenam hominum imaginem suis coloribus exprimere*. Hoc enim illi est proprium, ut accuratam totius hominis, quem describit, effigiem repraesentet. Quae imago non maximis quibusque rebus, sed minimis plerumque effingitur. Quare, quae in historia reprehenditur, nimia minutarum rerum diligentia, in vita conscribenda summopere laudatur.

Ornamenta praecipua sunt ethopoeiae seu vitae morumque ad vivum expressiones, breves nec crebrae descriptiones, digressiones quae sunt ad rerum intelligentiam necessariae, non vero quae a quibusdam fiunt, prout cuiuslibet rei fiat mentio: familiae, gentis, urbis, collegii, sodalitatis, etc.

Vitarum stilus sit purus, proprius, simplex. Erit autem tenuis vel mediocris, aut interdum gravis prout res et locus postulabit. Commendanda vero potissimum brevitās, ne librorum mole a legendo homines deterreantur, et cultior dicendi ratio qua alliciuntur animi retinenturque, quadam etiam stili delectatione capti. In quo eo magis est nobis laborandum, quod multi huiusmodi libri tam inornate impeditaque scribuntur, ut primis statim paginis fastidium lectionis satietatemque generent.

232. Rerum scriptores latinitate commendati.

In latinis rerum scriptoribus laudantur maxime T. LIVIUS, SALLUSTIUS, CAESAR, CURTIUS, TACITUS, FLORUS, PATERCULUS ...

Post autem Renatas Litteras (ut latinas Medii Aevi historias — ad ducentas — omittamus) plurimi exstiterunt rerum scriptores, fide historica non semper quidem commendabiles, at certe latinitate Augusti saeculo digni: ut POLITIANUS, IANUS PONTANUS, IO. ALBINUS LUCANUS, BENEDICTUS DE ACOLTIS, B. ORICELLARIUS, PAULUS IOVIUS, SIGONIUS, MICHAEL BRUTUS, IAC. BONFADIUS, UBERTUS FOLIETA, ANT. GALATEUS, ANT. M. GRATIANUS, PETRUS BEMBUS, CINTIUS GIRALDUS, IO. PETRUS MAFFEI, ORLANDINUS, SACCHINUS, HORAT. TURSELLINUS, IO. MARIANA, A. BONFINIUS, SAMBUCUS, BUCHANAN, FAMIANUS STRADA, BEVERINIUS, CASTRUCCIUS BONAMICUS, IUL. CAESAR CORDARA, GUIDUS FERRARIUS, FACCIOLATUS, FABRONIUS, alii bene multi.

Mos enim erat superioribus saeculis ut Reges et principes, urbes et gymnasia, latinos scriptores optimos undique arcesserent, munifice oblata pecunia, qui illorum res gestas per temporum seriem eleganti stilo latino descriptas, immortalitati commendarent.

233. Scriptores latini in Vitis contexendis probatissimi.

Commentarios de vita, studiis, rebus gestis *clarorum virorum*, apud antiquos scripserunt SALLUSTIUS, CORNELIUS NEPOS, SUETONIUS, Scriptores historiae augustae; inter vero recentiores, elegantissimi habentur IOANNES CASA, PAULUS IOVIUS, ERASMUS ROTTERDAMENSIS, LUD. REGIUS, IO. ANT. VULPIUS, IO. B. FERRARIUS, MARIANUS PARTHENIUS, GUIDUS FERRARI, FABRONIUS, ALOYSIUS BRENNIA, MORGAGNIUS, HIER. FERRIUS, PHIL. SCHIASSUS, BOUCHERON, alii plurimi.

Virorum autem virtute illustrium vitas pereleganti stilo latino scripserunt inter alios IO. PETRUS MAFFEI, TURSELLINUS, P. RIBADENEIRA, ANDREAS SCHOTTUS, ORLANDINUS, SACCHINUS, GABUTIUS, AUG. TURTURA, RADERUS MATTHAEUS, IUVENCIUS, RICCHINIUS, ALEX. VOLPINI, alii multi.

CAPUT V

DE RATIONE ET STILO INSCRIPTIONUM¹

PROLEGOMENA

234. Genus epigraphicum omnium difficillimum.

Ex omnibus fere latinis scribendi generibus difficillimum certe est genus epigraphicum, cuius ars, iam apud veteres Romanos maxime exulta, iis omnibus debet esse pernota, qui latinas inscriptiones velint exarare. Summa enim est difficultas in delectu verborum et locutionum latinarum, quae apte et cum dignitate tam magnam rerum novitatem et peregrinam argumentorum insolentiam exprimant. Satis est indicare munerum novorum, ut sacerdotiorum et magistratum, appellationes, quibus saepe inscriptio vel obscura vel barbara paene evadit.

Varia praeterea inscriptionum genera, formulas suas et sollemnes modos statutaque verba habent, quibus concipiantur, quasque ignorare idem erit saepe atque ab illa antiquorum norma deficere, quae minime est relinquenda si latine scribere velimus.

Accedit collocatio nexusque verborum: praeire alia, alia subsequi veteres voluerunt; quaedam nullo iure dissociari possunt, quaedam, contra, intermediis vocabulis distinguenda. Quorum omnium ignoratio, inscriptionem dabit nec iucundam nec opportunam.

235. Qua lingua exarandae sint inscriptiones.

Huius quaestionis solutio nec facilis est nec omnibus una. Nos autem hoc statuendum putamus:

¹ Quae nobis de toto hoc inscriptionum genere dicenda sunt, paene ex egregio MORCELLI opere *De Stilo inscriptionum latinarum*

- a) Quandoquidem vernaculae linguae facilius et plenius ab omnibus intelleguntur, vernacula lingua erit eligenda cum ad unam populi intellegentiam eiusque commodum est attendendum, ut in inscriptionibus temporariis, quae praesentes respiciunt.
- b) Si vero res, eventus, personae, quasi extra temporum, locorum rerumque ambitum ponenda sint et perpetuitati commendanda, si nempe inscriptiones perennes esse debeant et posteros respicere, si collocandae sint in aedibus vel sacris vel ad studia litterarum artiumque colenda adhibitis, si praesertim de rebus agatur ad Religionem pertinentibus: latina lingua, utpote magis fixa, pressa, gravis atque Religionis ritibus precibusque sacra, aptior evadit et est praeferenda.

236. Inscriptionum natura.

Inscriptio, ut genus aliquod litterarium dicit, est antiquissimum et brevissimum historiae genus, idemque maxime diuturnum, quo scilicet personae, rerum eventus, res praeter ceteris memorabiles et insignes, seu potius rerum summa, aeri, saxo, marmori, paucis iisque apposis verbis inscribitur ad posterorum admirationem et memoriam.

Reapse primae inscriptiones praeferunt bella, victorias, imperia, fundationes urbium, alia huiusmodi.

Inscriptio usitatius nomen est (graece ἐπιγραφή vel ἐπίγραμμα), tamen apud Latinos frequentissime invenitur *Titulus*, qui, etsi adhibetur generatim pro sepulcris, aedibus, statuis, libris, picturis, etc., nihilominus sumitur praesertim pro inscriptionibus sepulcralibus, quibus etiam nomen est *epitaphium*, *monumentum*, *memoria*, *memoriola*, *mensa*. Generaliores voces sunt *Lapis* et *Marmor*.

Tabulae autem dicebantur in quibus nomina scripta vel picta erant.

Index denique vocabatur inscriptio statuarum vel imaginum.

libri tres (Editio Patavina a. 1819 in 5 voll.) excerptimus. Post Morcellium qui hac de re agunt, fere illius opus in compendium redigunt, ut OSV. BERRINI, POLCARI, etc.

Dum vero germanam Latinorum rationem in inscriptionibus conficiendis discimus et sequimur, numquam obliuiscamur nostrarum inscriptionum naturam et indolem debere caelesti Christianae Religionis spiritu contineri. Quod valet praesertim in funebri inscriptione.

237. Inscriptionum distributio praeferenda.

In tanta rerum et sententiarum varietate, eam amplectimur divisionem, quam MORCELLIUS in suo egregio opere *De stilo inscriptionum* (lib. I, § II, 2), tradit, optimis ceterum rationibus nixam. Inscriptiones enim ita distribuit, ut « ab usu earum et a causa locum singulae suum et proprias sedes » habeant ; quod etiam pro opportunitate stili maximi est faciendum.

« Sex¹ autem si constituentur *inscriptionum genera*, nulla omnino iam erit, quae vaga aut sede exclusa videatur. Nam :

- 1) *genus primum*, quod ego *sacrarum* appello, et dedicationes et donaria et vota et monumenta omnia sacrorum comprehendet ;
- 2) *alterum*, quod est *honorariarum*, omnes continebit, quae honorem cuiquam habitum demonstrent : sive imperatores hi fuerint, sive consules, aut praesides aut ordinum ductores aut ministri sacrorum, sive denique viri sive feminae vel gratia illustres vel liberalitate vel rebus gestis ;
- 3) In *tertio*, quod *epitaphiis* tribuitur, viros item cuiusque ordinis, dignitatis, religionis, tum feminas, pueros puellasque, ipsas etiam familias et sodalitates quascumque numerabis ;
- 4) in *quarto*, quod *historicarum* inscriptionum nuncupabitur, fastis locus erit, et omnibus fere inscriptionibus consularibus, omnibus operum aut locorum publicorum privatorumque titulis, legatis quoque, donationibus, venditionibus et quae sunt huiusmodi ;

¹ MORCELLI, *De Stilo inscriptionum*, lib. I, § 2, 2.

- 5) ad *quintum* genus *ellogia* spectabunt sive magistratuum sive hominum privatorum sive etiam feminarum ;
- 6) in *sexto* denique, quod *constitutiones publicas* complectetur, leges habebit et edicta et senatus consulta et decreta municipiorum ; tum foedera quoque et hospitia, rescripta etiam et diplomata ; mensurarum ac ponderum inscriptiones, collegiorum sive sodalitatum decreta et acta ».

Facile ex superiore partitione quaelibet inscriptio ad suum genus referetur ; ceterum « quasi generum quorundam ampliorum seu mixtorum spectari possunt *appendices quatuor* ; quarum

- 1) prima, inscriptiones quascumque *temporarias* amplectitur ;
- 2) altera omnis generis *nummarias* ;
- 3) tertia vero titulos omnes *rerum privarum* ;
- 4) quarta denique quidquid in quolibet fere genere *versibus* constat.

Ut singulae appendices plura genera sequuntur, ita nulla in his erit inscriptio, quae ad unum aliquod e sex illis generibus non pertineat. Sed *habent hoc proprium*, ut vel oratione, sicut poëticae maxime, vel usu, sicut ceterae omnes, a reliquarum generibus dissociari postulent. Nam *temporariae* inscriptiones sequuntur quidem et epitaphiorum et inscriptionum sacrarum atque historicarum genera ; sed praeter quam quod ab eorum stilo abluere saepe solent, semper ad breve tempus, secus atque aliae omnes, propositae, nullam posteritatis rationem habent.

Nummariae quoque aut cum sacris aut cum honorariis aut cum historicis plane concordant ; verum in aere, argento, auro incisae sedem cum ipsis nummis neque publicam neque stabilem nactae sunt.

Idem est de *titulis rerum privarum*, qui etiam nec publica auctoritate incidebantur, neque in publico prostare solebant. Accedit praeterea, his omnibus vel ob singularem usum, vel ob ipsas angustias locorum, quibus eas arctari necesse est, regulas quasdam minime ceterarum communes convenire, quae in complexione reliquarum minus commode tradi possent » (MORCELLI, *ibid.*).

PARTITIO PRIMA

DE SEX GENERIBUS INSCRIPTIONUM

Art. I. DE INSCRIPTIONIBUS SACRIS

238. De ratione generis universa.

1. Id ipso initio admonendum videtur, veteribus exemplis sic esse utendum, ut ordinem quidem ipsum verborum normamque teneamus; quae vero perversam propudiosamque religionem sapiunt funditus repudiemus.

2. In inscriptionibus sacris, et maxime in monumentis sacrorum, quibus supplicationum ritus aut dedicationum leges historice describuntur, ea repudianda non videntur quae veteres aliena religione in dedicationibus suis usurparunt, si res sententiae subsit latinaeque formulae christianis respondeant ritibus: v. g. *epulum*, *lapis auspicalis* (quo aedificiū cuiusvis constructio inchoatur), *Curio*, *Curia*, *curiati* pro *Parochus*, *Paroecia*, *paroeciani*; etc.

3. Inscriptiones sacrae non modo carere debent his maculis, quae superstitionem veterem oleant, sed religionem etiam testentur oportet dedicantium votumque solvendum: nam religionis indicia (ut nomina Dei et Sanctorum, appellationes sanctitatis et virtutis eorum, verba « consecrauit, dedicavit » et huiusmodi) si absint, non sacram, sed historicam tantum inscriptionem confeceris.

239. De titulis Deo vel Caelitibus positis.

1. *Natura.* Sunt inscriptiones illae, quae aut templum aramve dicatam, aut vota suscepta vel reddita, aut donum aliquod datum consecratumve cum aliqua saltem cultus significatione declarant.

Sacrae domus non solum Deo, sed etiam Sanctis aedificantur, nec vero vota ipsa Sanctis Caelitibus soluta minus recte dicuntur; altaria tamen uni Deo dicari certum est.

2. *Eorum leges.* Dei vel Caelitis nomen praecedit, sequuntur apposita vel quasi apposita et omnia casu dativo efferuntur, nisi interdum praemittantur illa : *Honori* ; *Sacrum* ; *D. O. M. Sacrum* ; *Numini Aeterno Sacrum* ; *In Honorem Caelitis N*, etc. Tum adscribuntur ii, qui dedicant et causa, si est, vel contra ; tandem nota temporis, quae, si insignis est, initio etiam ponitur ; si ex rerum adiunctis cognoscitur, interdum omittitur. Sub finem sunt formulae consuetae et impensae ; ad latera vel inferius saepe scribuntur preces, vel dies quo sacrum faciendum est Numini, vel quid simile : v. g. (MORCELLI, vol. IV, p. 6, 15, 4, 5).

(Molliani in Agro Firmano)

DEO · OPTIMO · MAXIMO · SACRUM
 IN · HONOREM · MARIAE · VIRGINIS · SIDERIBUS · RECEPTAE
 ORDO · POPULUSQUE · MOLLIANENSIS
 TEMPLUM · A · MAIORIBUS · OB · DEPULSAM
 PESTILENTIAM · EX · VOTO · CONSECRATUM
 UT · FREQUENTIAE · MUNICIPUM
 ET · STATIS · SUPPLICATIONIBUS · AUGUSTIUS · PATERET
 PECUNIA · PUBLICA · ET · OMNIUM · SODALITATUM
 NOVA · FORMA · REFICIENDUM · LAXANDUMQUE
 CURAVIT
 DEDIC · VII · IDUS · IUN · AN · M · DCC · LXXIIII
 AB · URBANO · PARACCIANO · CARD · ARCHIEP · PRINC · FIRM
 CUIUS · ETIAM · OPE · ET · INSTANTIA · PERFECTUM · EST

(pro statuae basi)

FRANCISCO · XAVERIO
 APOSTOLO
 SOSPITATORI · ORIENTIS
 QUOD · CAELO · RECEPTUS
 CIVITATEM · QUAM · LUES · POPULABATUR
 PRAESENTI · OPE · RESPEXERIT
 ET · APPELLENTE · AB · SANCIANO · NAVI · QUAE · SACRUM
 CORPUS · EIUS · MENSE · POST · MORTEM · QUINTO
 INTEGRUM · RECENSQUE · ADVEHEBAT
 SECURITATEM · CIVIBUS · SALUTEMQUE
 REDDIDERIT

ORDO·ET·POPULUS·MALACENSIS
CONSERVATORI·PATRIAE

(pro lychnucho pensili)

MARIAE·REDUCI
ET·ANGELIS·CAELESTIBUS·TUTELARIBUS
ANTONIA·LAUR·F·CLAUDIANA
PRO·REDITU·PAULLI·AMERINI·CONIUGIS
ET·IUSTI·FILII
VOTUM·ANIMO·LIBENS·SOLVIT

(pro aede rustica)

MARIAE·ADIUTRICI
SACRUM
VOTO·SUSCEPTO
VICANI·CARSEOLANI
LIBENTES·MERITO
CUIUS·DEDIC·SACERDOTIBUS·QUI
SACRUM·FECERUNT
IULII·VIII·N·SINGULIS·DATI·SUNT

240. De monumentis sacrorum.

Ea sunt, in quibus, narrantis ritu, rerum sacrarum, quaecumque sint, vel causa vel ordo memoriae proditur.

Eiusmodi sunt :

1) *Leges dedicationum*, quarum usus est, ut templorum parietibus affixae non modo de locorum religione commoneant et sacrum a profano secernant, sed stata etiam sacra sollemnesque ritus recenseant, et alia fieri vetent, alia singulis diebus, aut mensibus, aut annis praestari iubeant.

Rem propositam latine dilucideque exponas ; simplici autem utaris dictione, quae eam imitetur, qua plebiscita olim et leges populi romani scribebantur. Initium autem unde libet sumito ; notam itidem temporis vel primo vel extremo versu perscribito, vel omitte etiam si tempus ab

ipsa dicantis persona satis significetur, vel si in ipso initio ad Numen sermo convertitur.

(*Clariss*)

CORDI·SUAVISSIMO
IESU
DOMINI·DEIQUE·NOSTRI
SACRUM
ADORANDI·CAUSA·ACCEDENTIBUS
INDULGENTIA·PII·VI·PONT·MAX·
DATUM·SINGULIS·EST
UTI·EA·SUPPLICATIO
AD·LABES·ANIMI·EXPIANDAS
SEPTENNIS·SATISFACTIONIS
INSTAR·SIT

(MORCELL. V, p. 35).

2) *Indices supplicationum votorumque sollemnium.*

Supplicationes, vel ad opem implorandam, vel ad gratias agendas saepe constituuntur, quarum monumentum extare aliquod maxime convenit; nec minus votorum publicorum, ut, periculis divinitus amotis, et accepti beneficii et liberatae fidei memoria posteritati prodatur.

Indices autem huiusmodi, aut anaglyphis tabulisve pictis, calicibus, aere campano etc., subiiciuntur (et tunc breves admodum simplicesque sint, effigies enim ipsae multa loquuntur), aut soli prostare solent (tunc longiores esse possunt et singula adiuncta causae, personae, temporis, cet., litteris consignanda sunt, praesertim si res magnae agantur.

ROCHO
PATRONO·CAELESTI
CALIX
CORROGATA·STIPE·OBLATUS
AN·MDCCCLXXXIII

(A. ANGELINI, *Inscript. lib. IV*, p. 570).

MANIBUS·PIORUM·IUVANDIS
 QUOS·ANNO·M·DCC·LXXXVII·VIS·PUBLICAE·CALAMITATIS
 OPPRESSIT
 SACRUM·ANNIVERSARIUM·VI·NON·OCT.
 QUOTANNIS·FIERI
 VICANI·GRUPPENSES·COMMUNI·CONSENSU
 DECREVERUNT
 (MORCELL. V, p. 31).

3) *Kalendaria* : nullum ornatum verborumve ambitum requirunt ; res quaeque ipsis tantummodo, quae necessaria sint, vocabulis expediuntur : omnia vero distincta notis litterisve atque eodem semper ordine et ratione digesta : v. g.

MARTIUS
KAL·MART·SOLLEMNIA·IN·HYPOGEO·OB·MEMORIAM·QUIN-
 QUE·VULNERUM·D·N·IESU·EXINDE·IBIDEM·PRECES·STATAE
 FERIA·QUAQUE·SEXTA
 RITE·SUPPLICANTI·POENAE·OMNIS·REMISSIO·EST
 ITER·D·N·AD·CRUCEM·CELEBRATUR·CONCENTUS·MUSICO-
 RUM·IN·AEDE·MAR·MAIOR·SUB·OCCASUM·SOLIS
V·NON·F·PROCESSUS·KLERI·POPULIQ·AD·AEDEM·MAR·MAIOR·
 POST·ADORATIONEM·PUBL·SACR·AUG·
PRID·NON·IEIUNIA·VERNI·TEMPORIS
 etc. (MORCELL. V, p. 43).

Patet usum Kalendariorum nostro tempore perexiguum esse et fere nonnisi litterarium.

Art. II. DE INSCRIPTIONIBUS HONORARIIS

241. *Leges inscriptionum honorariarum.*

Non raro in honorariis inscriptionibus pangendis recentes scriptores, artis epigraphicae ignari, peccant ; etenim vel initium earum ducunt a formulis sacrarum inscriptionum et apud veteres inusitatis reiue minime congruentibus, vel eas claudunt ineptis formulis, vel quaedam omittunt necessaria adduntque inutilia, vel barbaris voca-

bulis magistratus et munera latinis fere ignota, exprimunt. Haec ergo generatim dicendorum ratio est in hoc inscriptionum genere :

- a)* Nisi interdum praeponatur vocabulum « Honori » (vel « Pietati, Clementiae », cet.) cum genitivo, communior ratio est, ut honoratorum nomina primo versu, nec alio casu quam dativo, efferantur.
- b)* Succedunt honores et munera ea lege, quae melior videbitur : tum laus praecipua, seu apposita, quae ultimo etiam versu recte collocantur.
- c)* Facienda est etiam mentio eorum, quorum impensa decreto vel studio honor habitus est ; ac, si de civibus agitur, singuli ordines cum suis appositis sunt censendi.
- d)* Denique si privati homines honorantur, adscribendum, a quibus datus sit locus. Additur quoque nota temporis, annus et dies dedicationis.

Si feminae primariae honorandae sint, iisdem prope legibus atque ratione uti licebit, quae pro viris valent ; nisi quod eorum honores fere a viris, parentibus, filiis, maioribus petendi sunt.

PETRO·METASTASIO
CIVI·ROMANO
PRINCIPI·ITALICI·DRAMATIS
IOANNES·MARIA·RIMALDUS
FERRARIENSIS·PRESB·CARDINALIS
ANNO·M·DCC·LXXXVII
NE·VIRO·UBIQUE·GENTIUM·CLARISSIMO
HONOR·IN·PATRIA·DEESSET
 (MORCELL. V, p. 62 ; ad Pantheon).

HONORI·ET·VIRTUTI
THERESIAE·ANT·MARIS·PIROVANI·F·MAROCCAE
MATRONAE·SPLENDIDISSIMAE
ET·SUMMA·EGREGI·ANIMI·INDULGENTIA
EXORNATAE
IOSEPHUS·TELLARINIUS
VIR·PATRICIUS·FOROLIVIEN·

QUOD·AUXILIO·CONSILIOQUE·EIUS
 IN·DESPERATISSIMIS·REBUS
 INVICTUS·AC·RECREATUS·REVIXERIT
 (MORCELL. V, p. 67).

242. Dedications librorum et tituli vacui.

Multi passim componuntur tituli, honorariis partim, partim temporariis inscriptionibus adscribendi, volatiles et vacui, utpote qui nulli umquam monumento inscribantur; tales sunt librorum dedicationes, illique, quos maxime ode- rat Morcellius, qui chartis tantum impressis, ubi quis magi- stratum aut curationem aut quid aliud adeptus sit, alii et alii sparguntur in vulgus, et vota etiam continent, gratula- tiones, omnia fausta, agendi rationes, alia.

Interdum tamen indulgendum est tempori, cui obse- cutus est olim ipse Morcellius.

(Utini, in folio)

ANDRAE·CASASOLAE
 PONTIFICI·MAIORI·UTINENSII
 QUI·ANIMO·HUMANIS·VICIBUS·MAIORE
 DEI·GLORIAE·STUDET
 CONCREBITO·GREGI·ADVIGILAT
 EUMQUE·AD·LAETA·PASQUA·DUCIT
 INSIDIANTES·OVILI·ARCET·LUPOS
 QUINQUAGESIMUM·ANNUM·AB·INITO·SACERDOTIO
 QUINTUM·ET·VIGESIMUM·A·PONTIFICALI·DIGNITATE
 GRATULATUR
 PETRUS·CAPPELLARIUS·EPISCOPUS·CONCORDIAE
 MEMOR·ACTAE·SUB·EO·MAGISTRO·ADOLESCENTIAE
 (A. ANGELINI, *Inscript.* lib. IV, p. 338).

(libri dedicatio)

HONORI·ET·MEMORIAE
 CAROLI·BOUCHERONI
 QUI·LATINORUM·SCRIPTORUM
 AETATIS·SUAЕ·LONGE·NOBILISSIMUS

EGREGIUS·ANTIQUITATIS·VINDE
 HABITUS·EST

THOMAS·VALLAURIUS
 SUAVISSIMI·PRAECEPTORIS
 DESIDERIO·TACTUS
 HANC·ORATIONEM·DEDICAT

(VALLAURIUS, *Inscript.*, p. 22).

Art. III. DE EPITAPHIIS

243. Sepulcralium inscriptionum regulae.

Ne vitiosa prorsus varietas in hoc celebrato titulorum genere, ut saepe evenit, occurrat, veterum epitaphiorum ratio, paucis ad rem nostram immutatis, sequenda videtur.

a) Veteres fere primum nomina extulere, casu nunc recto, nunc patrio, saepius dativo

C·VEDIUS
 PHILOMUSUS
 CUM·AUTRONIA
 SUA·FELICE
 HIC·EST

OSSA
 C·IULI·LICINI
 L·TIRENI
 ET·DONATAE
 LIBERTAE

(MAFFEIUS, *M. V.*, p. 262, n. 12).

b) Nominibus adscribebantur honores, sacerdotia, munera; laudes tum defunctorum (quae hodie epitaphia implent) uno alterove apposito complectebantur, veritati simul decorique, quam adsentationi servire malentes.

D·M·
 P·AELIO·PIO
 CURTIANO
 MEDICO·AMICO
 BENE·MERITO
 A·CURTIUS·CRISPINUS
 ARRUNTIANUS

- c) Vita et res gestae raro et breviter narrantur, idque interdum ab ipso defuncto.
- d) Adiiciebatur nota temporis et vitae anni, auctores monumenti, salutationes et affectus (modeste), sententiae, precationes.
- e) Praeterea, *in feminarum epitaphiis* placuerunt nomina diminuta, laudum copia et diligens munerum expositio. *In pueris vero puellisque* emicant teneri affectus, maxime per apostrophem, laudes a gratia a forma a moribus a doctrina ab ingenio ; tum magnae parentum doloris significationes.
- f) Tandem sepulcra communia habent ipsa propria epitaphia, quae a ceteris simplicitate et certis quibusdam formulis clausulisque distinguuntur, et pro rerum varietate varie ex probatis exemplis sunt exprimenda.
- g) Minime reiciendae, quin potius probandae sunt formulae quaedam, quae nusquam apud veteres, nisi in tumulis Christianorum existunt ; cuiusmodi sunt : « *Dormit In Pace, In Somno Pacis, vale In Pace, In Pace Dei, Te In Pace Christus* » aliaeque ad hoc exemplum complures. Ab indole enim linguae latinae et ab usu optimorum minime discrepant, cum et Virgilius de Antenore habeat :

Et Placida Compostus Pace Quiescit
(*Aen.* I, 253).

244. Exempla cuiusque generis.

A ✱ Ω

HEIC·ADQUIESCIT
ANTONIUS·ANDR·F·ANDREIUS
PATER·LIBERORUM·QUINQUE
PIETATIS·STUDIO·REI·FAMILIARIS·CURA
SEDULITATE·OFFICIORUM
AMOREM·CIVIVM·ET·LAUDEM·EMERITUS
ANNOS·NATUS·LVIII
ANDREAS·FILIUS·SUPERSTES·DEFLEVIT·AMISSUM

V·NON·MART·AN·M·DCCC·XVIII
 AVE·PARENS·DESIDERATISSIME
 PAX·TIBI·ET·GAUDIA·CAELESTIUM

(MORCELL. IV, p. 367).

MAGDALENE·HEIC·SUM·PITZZI·UXOR

QUAE·LIBEROS·LAETA·LUBENSQUE

EDUCAVI

CUM·IPSO·CONIUGE

PROBOS·OBSEQUENTES·RELIQUI

EADEM·EGENORUM·IMMEMOR·NUMQUAM

GRATA·PARENTIBUS

QUI·MIHI·PIETATE·PRAEIVERUNT

DECESSI·IN·PACE·CHRISTI·NONIS·MAIIS

ANNO·M·DCCC·XVII

AVETE·FILII·SUAVISSIMI·ET·VALETE

VOS·MANEO·APUD·CAELESTES

(MORCELL. V, p. 175).

HAVE·HAVE

HEROTION

ET·VALE

AETERNUM

C·CESTIUS·FILIAE

F·C·

(GRUTERUS, p. 1122).

HAVE·EUPHROSYNE

C·STATIUS·PHORIMUS·ET·SENTIA

SATURNINA·PARENTES

FILIAE·PIENTISS·

VIX·ANN·XII·D·XXVI

VALE

(GRUTERUS, p. 1123).

LACRIMULAM·TIBI·HOSPES·HABETO

RITE·EGO·LOTUS·EVOLAVI·AD·SUPEROS

XIIII·KAL·IANUAR·

BENE·MATRI·PRECATUS

QUOD·URBE·BELLI·METU·TREPIDANTE
 ME·SEPTIMO·LUNAE·CURSU
 MATURUM·CAELO·EDIDISSET
 AT·HEIC·EXUVIAS·MEAS·COMPOSUIT
 MARTINENGUS·PATER
 QUUM·VIXISSEM·HORAS·V

(MORCELL. V, p. 176).

OCTAVILLA·M·FLAVIANI·F·
 ANNOR·XV
 HEIC·SITA·EST
 DELICIUM·DOMITILLAE·MATRIS
 SOLACIUM·EUNICES·AVIAE
 QUAE·INGENIUM·ACRE
 FORMAM·PRAECLARAM
 ORNABAT·PIETATE·SINGULARI

(MORCELL. V, 177).

(in communi miserae plebis sepulcro)

A ✱ Ω

DOMUS·MORTALITATIS
 CINERIBUS·ATQUE·OSSIBUS
 REVICTURIS

(MORCELL. IV, p. 121).

ANTONIUS·RAPHAEL·MENGS
 EQUES
 LOCO·EMPTO
 MONUMENTUM·FECIT
 MARGARITAE·GUAZZIAE
 BENE·MERENTI
 ET·SIBI·LIBERIS
 POSTERISQ·SUIS
 ANNO·M·DCC·LXXIIII
 IN·FR·P·X·IN·REC·P·XII

(MORCELL. V, p. 181).



LOCUS·SEPULTURAE
 SODALIUM·MARIALIUM
 A·COLUMNA·TRAIANI
 ET·FAMILIAE·EORUM
 QUA·MACERIA·CLUSUS·EST
 CUM·AEDE·ET·ALTARI
 IN·QUO·SACRUM
 AD·LABES·PIORUM·MANIUM
 ABOLENDAS
 QUOTIDIE·FIT

(MORCELL. IV, p. 122).

Art. IV. DE INSCRIPTIONIBUS HISTORICIS

245. De ratione generis universa.

Genus hoc inscriptionum non rebus celebrandis, sed memoriae publicae retinendae inventum est. Sive enim clarorum virorum magistratus aut res gestae recensentur, sive operum publicorum auctores produntur, sive dominorum iura privataeque conventiones indicantur, ita semper narratio institui solet, ut exornationem quidem non respuat, sine ulla tamen virorum aut rerum commendatione absolvatur.

Habet hoc maxime genus formulas suas plane multas ac varias, quas aliis ut ut latinis dictionibus substituere, ignorantiae propriarum est signum. Profecto in hoc genere non alia fere hodie tractantur, quam quae veteres suis in titulis exposuere, ut, cum magistratuum quorumdam appellationes exceperis, vix aliud iam reliquum sit, quod priscis tantummodo formulis efferri non possit.

Ad temporum notas quod attinet, quamquam, ut consulatibus veteres, sic regnis vel pontificatibus nos etiam indicare tempus interdum fas erit, iuvabit tamen plerumque vulgarem christianamque rationem secutos, vel annorum numerum solitarium sine apposito notare, vel « anno christiano » scribere.

Ad inscriptiones historicas pertinent *Fasti*, *Inscriptiones* operum publicorum, et *Indices* tum locorum publicorum

privatorumve, tum eorum, quae legata, donata, vendita aut empta sunt.

246. De fastis.

Fasti, qui et *Annales Maximi* antea dicti videntur, prima populi romani historia fuerunt (cfr. 2 *De Or.* XII, n. 52). Nunc autem esse possunt :

- a) alii *urbani* seu municipales, in quibus princeps, magistratus, et res, vel a pluribus vel ab uno gestae, breviter, dilucide cum nota temporis et propriis cuiusque formulis recensentur ;
- b) alii *sacri*, in quibus Pontifices unius Ecclesiae distribuuntur omnes, adiectis rebus, quas quisque gesserit, et cum templorum conditoribus ac restitutoribus, tum rituum etiam municipalium dierumque festorum originibus indicatis.

Fastis adnumerantur Indices decurionum atque sodalium. Quin fastorum forma scribuntur funesti quidam eventus ad posterorum lacrimas fugamque ciendam.

Fasti praeterea non tantum generales possunt esse, sed et particulares, quibus non longi temporis res, imo factum aliquod singulare ab uno Pontifice vel Principe gestum describas.

(*apud Circeios vic. Felic.*)

ANNO·M·DCC·LXXX

XVII·KAL·MAIAS

PIUS·VI·PONT·MAX·

FINIBUS·RENASCENTIS·SOLI

QUA·PALUS·POMPTINA·FUIT

PERAGRATIS

ET·MEMORANDI·OPERIS·MOLITIONE

PROBATA

HIS·AEDIBUS

HOSPES·SUCCESSIT

VICANOS·OMNES

ADMISSIONE·ADLOQUIO

LIBERALITATE

BEAVIT

(MORCELL. IV, p. 234).

247. Inscriptiones operum publicorum.

Fere ab auctore operis incipiunt ; succedunt tituli, magistratus, munera ut in inscriptionibus honorariis : tum res seu opus, et laus aliqua ; quamvis haec non semper. Verbum autem, quo aut suscepta cura, aut opus perfectum, aut sumptus facti indicantur, vix omittitur. Explicatur etiam qua pecunia, et cuius decreto titulus sit positus ; sed nullae plerumque sunt clausulae ; annus tamen, et dedicationis dies, et curatores adscribuntur.

(*sub Tibure*)

ORDO·ET·POPULUS·TIBURTIIUM·
 STUDIIS·PRISCARUM·ARTIUM
 D·N·PII·VI·MUNIFICENTIA·RENATIS
 COMMODO·ADVENARUM
 IN·HADRIANI·AUG·VILLAM
 ADMIRATIONE·VETUSTATIS·DIVERSENTIUM
 SEMITAM
 INSTABILI·SOLO·INAEQUALEM
 QUAE·ACCESSUM·ANFRACTIBUS·RETARDABAT
 ANNO·M·DCC·LXXXVIII
 ADITU·EX·VIA·BRASCHIA·DEXTRORSUM
 RECTA·REGIONE·PATEFACTO
 PECUNIA·PUBLICA
 SUBSTRUENDAM·LAXANDAMQUE
 CURAVIT

(MORCELL. V, p. 211).

248. Indices locorum publicorum privatorumque.

Geminam habent formam : aliam longiusculam atque ad normam Inscriptionum confectam, quae operibus publicis praefigebantur ; aliam, contra, brevem nullisque magistratibus insignem ; ut ad finium tantum locorumque discrimina posita videatur : ex. g.

IMP·CAESAR
 VESPASIANUS·AUG·

PONTIF·MAX·TRIBUN·
 POTEST·VI·IMP·XIII·P·P·
 COS·VI·DESIG·VII·CENSOR
 LOCUM·VINEAE·PUBLICAE
 OCCUPATUM·A·PRIVATIS
 PER·COLLEGIUM·PONTIFICUM
 RESTITUIT
 (apud FABRETT. p. 684, n. 84).

FINIS
 INTER·PUBLICUM
 ET·PRIVATUM
 (apud MURAT. p. 495, n. 2).

249. Indices eorum, quae legata, donata, vendita aut emptasunt.

Pauca habent propria, nec fere abeunt a forma, qua operum publicorum inscriptiones conficiuntur.

Primi autem plerumque inducuntur, a quibus res aut pecunia profecta est; excipiunt magistratus, munera et raro apposita virtutis; tum res donata, emptas, vendita, atque usus vel opus, in quod quid datum legatumque sit.

M·LIVIUS
 CAMPUM·ET·VINEAM
 PAGANIS·SUIS·EX·TEST·REL·
 EX·QUO·REDDITU·QUOTANNIS
 IX·KAL·MART·
 DARENTUR·OCTONI·CEREI·BILIBRES
 TEMPLO·MARIANO
 EXTRA·PAGUM
 (G. FERRARI, *Inscr.* n. 352).

Art. V. DE ELOGIIS

250. Ratio generis universa.

Elogia non sunt confundenda cum inscriptionibus honorariis, quae omnes vivis, vel certe recens mortuis ponebantur.

tur, senatus aut decurionum aut collegiorum decreto, quaeque nunc Caelitum Sanctorum nunc priscorum ducum imaginibus subscribebantur.

Elogium ideo inventum constat, ut posterī ad virtutem legendo excitentur; quare vitia, aut quae recte facta non videntur, siqua forte offendas, dissimulanda ac praetermittenda sunt; ex ipsis autem virtutibus praeclarisque factis ea solum deligenda, quae eximia putantur, quaeque exemplo admirationique posteris est.

Stilo vero presso et circumscripto, nec tamen exili atque rudi utemur.

Nulla clausula peculiaris, nulla mentio de monumenti auctore, nulla de imaginis dedicatione, vel, si necesse sit, ad basis latera auctor et dedicatio inscribantur.

251. Generalis ordo contexendi elogii.

- a) Initium elogii unum omnino erit: a nomine, quod recto casu erit usurpandum.
- b) Deinde magistratus et propria cuiusque munera sequentur: v. g. si de Sanctis Caelitibus agatur, sacerdotia muneraque adscribenda sunt, et si quis constitutor Collegiorum, aut familiae religiosae parens fuerit, non est omittendum: praecipue autem ea subiicienda cognomina, quae quisque a rebus invenerit, efferendique tituli, quos quisque sibi laboribus et virtute pepererit.
- c) Post haec narratio incipiet, quae res gestas dilucide et breviter tamen complectetur: expositis factis, virtutes etiam commemorantur, quae praeclarissimae sint, atque appositis quae virtutis praestantiam animique excellentiam extollant, distinctae. Sed illud cavendum maxime ne agnominibus argutiisque utamur illis, in quibus neque veritatis multum inesse solet, neque dignitatis.

In feminarum autem elogiis, privatae vitae laudibus fere posthabitis, vix aliud plerumque, quam indicium generis et munera, quibus functae essent, veteres notare consueverunt. At nobis interdum magis indulgendum est in earum egregiis virtutibus et praeclaris factis praedicandis.

d) Extremis potissimum Elogii versibus de extraordina-
rio honore mentio facienda est, si cui quis habitus sit :
veteres addebant interdum quidquid etiam post mor-
tem in clarorum virorum honorem publice factum
esset (cfr. MORCELL. IV, p. 263 sqq.).

	M	·	TULLIUS	·	M	·	F·	
	CICERO	·	COS	·	PROCOS	·		
	PRAET	·	AED	·	QUAEST	·		
	TRIB	·	MIL	·	AUGUR	·	IN	
	CONSULATU	·			CONIURATIONEM			
	L	·	CATILINAE	·	DEPREHENDIT			
	ET	·	RE	·	PUBLICA			
	E	·	PERICULIS	·	EREPTA			
	PRIMUS	·	OMNIUM	·	A			
	SENATU	·	PARENS	·	PATRIAE			
	APPELLATUS	·	EST	·	IN			
	PROCONSULATU	·			CILICIA			
	PROVINCIA	·			SANCTE			
	ADMINISTRATA	·			IUSTI			DEDIC·
	ETIAM	·	TRIUMPHI	·	RES			KAL·APRIL·
	GESSIT	·	IMPERATOR	·	AB			AN...
	EXERCITU	·	DICTUS	·	PRIVATUS			
	QUOQUE	·	MAGNO	·	USUI			
	REI	·	PUBLICAE	·	SEMPER			
	FUIT	·	IN	·	CURIA	·	IN	
	ROSTRIS	·	IN	·	FORO			
	DEFENSOR	·			SENATUS			
	VINDEX	·	LIBERTATIS	·	ARTES			
	IDEM	·	ET	·	STUDIA	·	UNUS	
	EX	·	OMNIBUS	·	MAXIME			
	COLUIT	·	ORATOR	·	OPTIMUS	·	ET	
	PHILOSOPHUS	·	PRAESTANTISSIMUS					
	DISCIPLINAS	·	GRAECORUM					
	LATIO	·	INTULIT					

(MORCELL. IV, p. 266).

Art. VI. DE CONSTITUTIONIBUS PUBLICIS

252. Harum generalis ratio, usus, leges.

De his praecepta minus hodie videntur tradenda, cum iamdiu apud plerasque gentes, repudiato latini sermonis usu, quidquid publice edicitur, vernacula lingua, idque nulla propria forma, explicetur. Attamen latino sermone usi sunt identidem atque utuntur nonnulli, tametsi in argumento versantur fere non ita magno.

Leges potissimum latinae et prope veteri stilo occurrunt in hortis, puta ad exhedras xystorum in collegio poëtarum vel eruditorum hominum, et frequentius etiam in bibliothecis; quin decreta etiam quandoque et leges invenies, a doctis hominibus nostrorum temporum conscriptas. Etiam hodie enim in privatis quibusdam edictionibus latinae linguae locum opportune dari credimus. Verum in his quoque, etsi de rebus non ita magnis, decus tamen servandum, atque ab ineptis scurrilibusque argutiis abstinendum; neque formulae in XII tabularum fragmentis horridioreque illa antiquitate sunt quaerendae.

Hoc in genere formularum magna est copia. Ordo autem textusque constitutionum publicarum facilis est, si habeantur prae oculis veterum exempla, tum Morcellii partitiones: Leges et Edicta, Senatusconsulta et Decreta Civitatum, Tabulae Foederum et hospitiorum, Rescripta et Diplomata Principum, Inscriptiones mensurarum et ponderum, Decreta et acta Collegiorum. Non vacat hic singula persequi, quorum leges et exempla invenies apud MORCELLIUM, *De Stilo inscr. lat.*, lib. I, P. I, c. VI.

253. Exempla quaedam.

a) Leges et edicta :

(Romae in musaeo Kircher.)

QUAE·DONO·DATA·COMPARATA·EMPTAVE·IN·MUSAEUM·AD
HANC·DIEM·INLATA·DEDICATA·SUNT·QUAEQUE·POSTEA

INFERENTUR·DEDICABUNTUR·EA·OMNIA·COLLEGII·
 ROMANI·PRIVATA·PROPRIAQ·IURE·MANCIPII·SUNTO
 SI·QUID·EORUM·QUIS·CLEPSEKIT·AUT·DOLO·MALO·CORRUPERIT
 VIOLARIT·HIC·SIBI·PONTIFICIS·MAXIMI·DECRETO·SACRIS
 INTERDICTUM·SCIAT
 CIVES·HOSPITESVE·QUICUMQUE·AMANT·LITTERAS·STATIS·
 DIEBUS·SPECTATUM·ADMITTUNTOR·IIDEM·QUUM·LIBUERIT
 REDEUNTO
 HIS·DESCRIBERE·QUAE·VELINT·ET·IN·CHARTIS·EFFINGERE
 LICETO
 MOVERE·QUID·ALIOVE·TRANSFERRE·NE·LICETO
 (MORCELL. IV, p. 280).

(pro agone litterario)

QUOD·FELIX·FAUSTUMQUE·SIT
 TRIGINTA·PRIMI
 E·SCHOLA·RHETORICA·COLL·ROM·
 SI·CUI·COMMODUM·EST·INTERESSE
 IDIBUS·AUGUSTIS
 DISCIPLINARUM·LIBERALIUM·EXPERIMENTA
 PUBLICABUNT
 (MORCELL. IV, p. 283).

b) Decreta et Acta Collegiorum.

(Utinam missa)

IDIBUS·MARTIIS
 ANNO·M·DCC·LXXXII
 UTINAE·IN·SCHOLAM·ORDINIS·CANONICI·FREQUENTES·QUUM
 CONVENISSENT·VERBAQUE·FACTA·ESSENT·QUO·DIE
 PIUS·VI·PONT·MAX·PARENSQUE·PUBLICUS·GERMANICAE
 PROFECTIONIS·CAUSSA·UTINAM·SUMMA·OMNIUM·ORDINUM
 LAETITIA·INGRESSUS·ESSET·ET·IN·TEMPLUM·MAXIMUM
 A·COLLEGIO·N·DEDUCTUS·SACRO·ADFUISSET
 UTI·MEMORIA·EIUS·DIEI·QUI·FUIT·III·ID·MARTIAS·ANNI
 CHRISTIANI·M·DCC·LXXXII·LITTERIS·CONSIGNATA
 POSTERIS·TRADERETUR

PLACUIT·UNIVERSIS·DECRETUM·DE·EA·RE·CONSCRIBI·IDQUE
 SAXO·INCISUM·AD·OPTATISSIMI·ADVENTUS·FAUSTITATEM
 ET·NOSTRI·ORDINIS·TOTIUSQUE·CIVITATIS·RELIGIONEM
 AC·STUDIUM·CELEBRANDUM·EODEM·IN·TEMPLO·FIGI
 CENSUERUNT

(MORCELL. IV, p. 299).

PARTITIO SECUNDA

INSCRIPTIONES MIXTI GENERIS

Art. I. INSCRIPTIONES TEMPORARIAE

254. De ratione generis universa.

Cum ceterae inscriptiones posteritati destinatae gravitatem dignitatemque prae se ferre maxime debeant, temporariae, utpote praesentibus perscriptae, cum animi laetitia, dolore, admiratione vehementius perculsi vehementiorem quoque affectuum significationem postulant, liberiore idcirco ac solutiore forma et poëtica prope licentia exsultanti utuntur. In hoc tamen modus est retinendus ; brevitatem enim amant simplicitatemque, ac respuunt proinde crebriores audacioribusque sententiarum figuris.

Usus praeterea atque delectum formularum, sicut ceteri tituli, requirunt. Ipsa denique orationis structura perpetua esse non debet, sed membris carpenda minutioribus, interdum etiam rythmicis.

Ceterum ad haec satius, quam praecepta, suum cuique iudicium atque optimorum exempla valebunt.

255. Inscriptiones sacrae, precationum votorumque causa.

Sic fere scribuntur,

- a) ut populus ipse, aut omnes collegii sodales loquentes inducantur, quin tamen eos nomine appellare necesse sit : quippe eos vel locus ipse vel precationis verba designant.

- b) Ab ipsa autem Dei aut Caelitum invocatione fere exordimur, ac precationem aut voti formulam continuo subnectimus.
- c) Precationum vero votorumque materia sunt: in secundis adversisque rebus gratiae agenda, auxilium implorandum: tum si princeps convaluerit, si prole auctus sit, si victoriam ab hoste retulerit: item si bella ingruant, si calamitas agris impendeat, si salus civitatis in discrimen vocetur. Addenda causa, et quid petimus, quid promittimus subscribendum.
- d) Clausulae nullae: nam uno et perpetuo tenore carmen ab initio ad finem deducitur, idque breviter, ut praepositas tabulas perlecturi uno prope adspectu, quae vota publica sint, et ediscere et tenere possint. Stilo opus est presso et aequali; ut oratio et simplex et gravis sit, non sententiis arguta, non verbis sonans.

SOLLEMNIA·IN·TRIDUUM
MARCELLINAE·VIRGINIS·SANCTISSIMAE
RELIQUIIS·EIUS
IN·FRATRIS·BEATISSIMI·TEMPLUM
INLATIS
QUORUM·PRAESIDIUM·CAELESTE
ECCLESIA·MEDIOLANENSIS
IMPLORAT

(MORCELL. V, p. 262).

MARTYRES·FORTISSIMI
CORNELII·ET·CYPRIANE
SI·VOBIS·TEMPLUM·NOVUM·A·FUNDAMENTIS·EXSTRUXIMUS
DEDIMUS·DEDICAVIMUS·VOTA·QUAE·HODIE·NUNCUPAMUS
PRO·IOSEP·PUTEOBONELLO·CARD·ARCHIEP·MEDIOL·IIS
VOLENTES·PROPITIIQUE·ANNUITE·UT·EUM·SIC·AMETIS
VOS·UT·NOS·ILLE

(G. FERRARI, *Inscript.* n. 300).

256. Inscriptiones ad festos apparatus atque pompas.

Festi apparatus pompaeque sollemnes religionis pietatisque ergo saepe instituuntur, saepe ad publicas supplica-

tiones habendas ; interdum etiam laetitiae et gratulationis causa, quod parta ex hoste victoria, quod claro civi honores singulares aut summa imperii delata sit ; quod adventus Principis, regales nuptiae, reditus victoris exercitus, triumphus instar, et similia celebrentur.

Id genus inscriptiones qua historicis qua honorariis similes sunt, nota temporis excepta, quae abest ; stilo etiam magis ornato ducuntur. Huc enim laudes, huc gratulationes, huc vota precesque totius civitatis referuntur : sententiae usurpantur breves, verba electissima : numerosa vero ac propior versui oratio.

AD
TUI·ADVENTUS
POMPAEQUE
ORNAMENTUM

(G. FERRARI, n. 110).

QUO·FAUSTUS·FELIXQUE·SIT
COLONIS·INCOLIS·CONIUGIBUS
LIBERISQUE·NOSTRIS
ADVENTUS·ANTISTITIS·OPTIMI
ARCUM·IN·INTROITUM
CERENSES·EXORNAVIMUS

(FERRARI, n. 108).

TE·TEMPLO·SUCCEDENTEM
SECUNDIS·VOTIS
PROSEQUIMUR

(G. FERRARI, n. 102).

257. Inscriptiones funerum publicorum.

Quamvis communi stilo scribantur, tamen a communi forma recedere possunt, et plurimum dolori et amoris indulgere.

Titulus qui in templi fronte aut intra porticum supra portam maximam eminebit, communi stilo scribatur : sic nimirum ut defuncti nomen exhibeat et merita ; tum eorum etiam nomina, qui iusta persolvunt, eorumdemque officium

et ipsum animi moerorem et luctum, significet, sed omnia brevissime.

At subinde ceteris in titulis, qui ad feretrum aut ad parietes figentur, non res solum a defuncto gestas eiusque virtutes, sed varias etiam sententias et laudes et affectus concludere possumus. Quidam, ut totam defuncti vitam ordine complecterentur, breves veluti fastos confecere, singulis picturis clypeisque plasticis subscribendos: sed fasti non omnibus defunctis conveniunt: quare, ut plurimum, alia sunt quaerenda ornamenta harum liberioris stili inscriptionum.

PIIS·MANIBUS
MUNIFICORUM·CIVIUM
QUORUM·RELIGIONE·ET·LIBERALITATE
HONORI
SANCTAE·GENITRICIS·DEI
AUGUSTA·IMMENSI·OPERIS·MOLES
MAGNIS·INCREMENTIS·AUCTA
EDUCITUR·AD·FASTIGIUM
IUSTA·ANNIVERSARIA
EX·DECRETO·CURATORUM·PUBLICORUM
(MORCELL. V, p. 283).

A ✱ Ω
LUCILLAE·CLAUDI·F·
METELLAE·RUF
PATRONAE·MUNICIPII
PARENTALIA
PUBLICA
DECR·DEC·

HEROUM·GENUS·LUCILLA
ET·VIRTUTIS·AEMULA·DOMESTICAE
PATRI·AVO·MAIORIBUS
NON·ILLA·MINUS
EX·SUA·REDDIDIT·LAUDE
QUAM·DECORIS·SIBI
TAM·CLARA·E·GENERE·OBVENERAT

PUDOR·FIDES·IUSTITIA
 QUIBUS·LUCILLAE·IN·PECTORE
 TEMPLUM·FUIT
 QUANDO·ALIAM·INVENIENT
 PAREM

SALVE·ANIMA·INNOCENS
 IAM·RECEPTA·SIDERIBUS
 AGE·O·BEATO·QUAE·FRUERIS·AEVO
 VOLENS·PROPITIA
 INDIDEM·PRAESENTI
 SOSPITES·OPE
 PATRIAM (MORC. IV, p. 317-318).

Art. II. INSCRIPTIONES NUMMARIAE

258. Generalis ratio et leges pangendi huiusmodi titulos.

Romani non solum nummos ementium commodo signabant, sed missilia etiam nomismata munusculorum causa cudebant. Id apud nos nunc obtinet: nummorum enim alii ad res promercales usui sunt, alii in Caelitum, in Principum, in virorum etiam illustrium memoriam signantur.

In nummorum autem inscriptione, quicumque illi sint, illud primum curandum, ut et nummi titulus cum eiusdem argumento, et frontis utriusque inscriptiones inter se satis cohaereant.

Tituli vero huiusmodi, brevissimi ac omnino perspicui esse debent: in frontibus nummorum adversis est vultus Caelitis, Principis vel eorum, quos honoramus, et ad oram nomen ac tituli quique perpetui; in aversis autem multa omnino eaque plane varia exprimuntur more Romanorum, quos imitabimur; in exergo seu spatio illo angusto infra figuras, nota pretii vel temporis vel annus Pontificatus aut regni, vel aliud congruum inscribitur: v. g.

— *in parte aversa imaginis S. Petri:*

DEFENSORI·PONTIFICIS·MAXIMI
 PROPUGNATORI·URBIS

— *in nummo C. Caesaris Octav. post actiacam victoriam (in parte adversa) :*

IMP·CAESAR·DIVI·F·COS·VI·LIBERTATIS
P·R·VINDEK

Art. III. TITULI RERUM PRIVARUM

259. Ratio generis universa ac leges.

Breves omnino sunt, et ternis aut quaternis verbis vix continentur. Eorum autem sententiae non aliae esse debent, quam quae vel amicitiam et humanitatem, vel religionem et pietatem prae se ferant : aut quae ad virtutem et decus excitent, vel ad concordiam, laetitiam, hilaritatem moveant ; aut demum, quae tempus et locum notent, vel certorum hominum munia declarent, vel illustre factum et claros viros designent. Inscribuntur vero :

a) anulis, vel gemmis, sacris et profanis :

- NUBE·FELIX
- DIU·TE·PATRIA·FRUATUR
- SALVE·MEUM·DESIDERIUM
- VIVE·MEMOR·NOSTRI
- MARIAE·EXORATAE·SACER·ESTO

b) poculis :

- FERIS·IURGIA·AMOVETO
- VIVE·BEATUS
- FELICITER·QUOD·AGIS

c) Tesseris, quarum magna varietas : gladiatoriae, militares, hospitales, theatrales, etc. (quae tamen nunc aut nusquam usurpantur, aut titulos vernacula lingua inscriptos habent et habere debent) :

- MAENIANO·I·CENACULO·X
- OSTIO·II·GRADU·III
- DIAETA·I·CUBICULO·IV

d) lucernis vasisque fictilibus :

- NATALI·CUSTODUM·URBIS·LAETITIA·P·R·

(in *Lucerna B. Petri et Pauli, quorum effigies
nominum loco erunt*).

— ANNO·V·PRINCIPATUS·PII·SEXTI·P·M·HILARITAS·P·R·

e) *armis et instrumentis bellicis* :

— VIM·INLATAM·VI·DEFENDO

— FERRO·VIA·EST·PER·QUAMVIS·CONFERTOS·HOSTES

— LUCIO·ASPERO·CENTURIONI·OB·MERITA

f) *tegulis et lateribus* :

— PIO·VI·PONT·MAX·EX·FIGL·TRANSTIB·

DOL·PUTEANI

— OP·FIGL·MARCI·TORELLI·PIO·VI·PONT·MAX·

MULTOS·ANNOS

etc.

(MORCELL. IV, p. 326 sqq.)

Art. IV. INSCRIPTIONES POËTICAE

260. Ratio generis universa.

Poësi etiam erit interdum in inscriptionibus locus, ut apud veteres fuit. Attamen versibus fere exornamus, quae exilia sunt et minuta : tum ea, quae cum iterum ac tertio repetenda sunt, non possunt apte distingui, nisi mutata dictione : carmine autem quamdam venustatem acquirunt.

Verum curandum est ut huiusmodi inscriptiones non poëticiis solum numeris, sed verbis etiam et sententiis et ornatu omni insignes sint.

Metro veteres usi sunt vario : hexametris, elegiacis, hendecasyllabis, senariis : sed hexametri ellogiis et historicis inscriptionibus videntur aptissimi.

261. Funebres.

Multa sunt anomala in exemplis : nos tamen poëtarum leges tenebimus. Epitaphia communes regulas servant, sed et poëtica ornamenta suscipiunt, et formulas etiam epitaphiorum communes initio et ad calcem nullis adstrictas poëticiis numeris usurpant. Quin interdum carmina praecedunt,

sequuntur formulae consuetae : interdum vero tota inscriptio communis est, sed epigrammate concluditur.

Poëtica haec epitaphia feminis puerisque propria fere assignari possunt.

D·M·S·

SUM·CASTAE·CINERUM·LAPIS·PUELLAE
CUSTOS·ME·RELEGENS·PIUS·VIATOR
HUIUS·COGNITA·SI·TIBI·FUISSET
VIRTUS·LACRYMULIS·TUIS·RIGARES
EVODIAE·CYPARAE·ANN·VI

(ex FABR. p. 64, n. 2).



NISUS·PUER
H·S·E·

DOLOR·PARENTUM
FECERUNT·CLAUDIUS·VITELLIANUS
ET·ARTEMISIA·CUM·LACRIMIS
DELICIO

AVE·NISE·ET·VALE
OTIA·QUINQUENNIS·VITAE·SECURA·TRAHEBAM
INNOCUAE·NISUS·QUEM·CITA·MORS·RAPUIT
AT·NE·FLETE·TAMEN·VITAE·SI·TEMPORA·PAUCA
PAUCA·ETIAM·VITAE·MI·MALA·CONTIGERUNT



URSILIA·SOROR
HEIC·ACQUIESCIT
QUAE·IN·TRIMATU
ELATA·EST

(MORCELL. IV, p. 337).

262. Sacrae.

Caelitum quoque tituli versibus scribi possunt, vel intercipi, vel absolvi; sed poëticae inscriptiones donariis magis, tabulisve votivis, quae in templis figi solent, quam aris templisque dedicandis convenire videntur, quippe hic gravis oratio et dignitatis plena potissimum requiritur.

Exemplo sit dedicatio haec Morcelliana, ad oram coronae Divino Infanti impositae :

ARGENTO·E·PURO·LETI·DE·LIMINE·SOSPES
HANC·SERVATORI·DAT·MERITO·AEMILIUS

(MORCELL. IV, p. 338).

263. Historicae.

Hae inscriptiones tunc versibus conficiuntur melius, cum privato nomine privatis operibus (fontibus, hortis, bibliothecis, tabulis pictis, anaglyphis operibus, etc.) ponuntur : in his non aliud fere, quam iocos, venustatem, verborum ac sententiarum leporem quaerimus, ea scilicet omnia, quae maxime a poëtis petenda sunt. Publicis vero operibus melius conveniunt inscriptiones communi stilo exaratae.

(*Tusculi*)

AQUA·TULLIA

EXIGUUS·QUAMVIS·URNA·NEC·DIVITE·FONS·EST

NIL·PUDET·INGENTI·SAT·DECUS·A·DOMINO

NAM·TULLI·MIHI·RURE·CAPUT·MENS·ILLA·DISERTI

HOSPITIS·HEIC·CREBRO·PROLUIT·ORA·LIQUOR

(MORCELL. V, p. 296).

264. Elogia.

Romae in imaginum (quae plerisque in aedibus visabantur) basibus poëtica elogia antiquitus scribi coepta sunt, neque ea ut plurimum initio valde longa.

In his nulla lege vetamur, quin venusta quaeque sectemur, omnesque his artis colores inducamus. Fas erit ipsius artificis celebrare manum, et praesertim eius persequi virtutes et facta, cui posita est imago, qui ipse etiam saepe inducitur loquens.

ILLE·EGO·SUM·NULLI·NUGARUM·LAUDE·SECUNDUS

QUEM·NON·MIRARIS·SED·PUTO·LECTOR·AMAS

MAIORES·MAIORA·SONENT·MIHI·PARVA·LOCUTO

SUFFICIT·IN·VESTRAS·SAEPE·REDIRE·MANUS

(MARTIAL. IX, 1).

HESPERIOS·ANIMOS·INVICTAQUE·ROBORA·GENTIS
 QUOSQUE·DAT·INDOMITOS·AFRICA·TERRA·VIROS
 PERDOMUISSE·ALIQUID·MIHI·SIT·VICTORIA·DURAE
 VICTOREM·ITALIAE·VINCERE·SOLA·FUIT

(IUL. SCALIG., *Heroum epigr.* 24).

PARTITIO TERTIA

DE REGULIS INSCRIPTIONUM COMMUNIBUS

Singulas hactenus inscriptionum formas et proprietates persequuti, ea omnia simul nunc attingimus, quae ad genus universum pertinere videntur.

265. Inscriptionum nomenclatura.

Cum quis binis nominibus appellatur, primum ex his praenominis loco esse potest, alterum nominis; post nomen patrem ciere possumus, atque praestat interdum et avi et proavi mentionem facere: cognomina autem nostra patris et avi appellationibus recte subiiciuntur.

Nomina autem virorum feminarumque, quae nunc saepe barbara, et Latinis ac patribus nostris ignota imponuntur, sic efferenda sunt, ut a latina consuetudine quam minime recedant: non tamen turbanda, praesertim in prioribus syllabis, nec latinitatis studio obscuritate infuscanda: (v. g. Hagne -es (ae), etc.; Ruggierus, Gulielmus, etc.

Quoad vero cognomina, hoc sibi Latini sumpserunt, ut ea, sive propria erant sive externa, declinarent, eaque de causa, quod nunc quidam aegre ferunt, litterulam illis in fine aut syllabam adderent, unde cognominis casus nosci possent. Ut autem vidimus (n. 42) non videtur certa et universalis apud antiquos ratio terminandi cognomina in *ius* prae *us*: in hoc potius auribus parcendum.

266. De rerum delectu et dignitate inscriptionum.

Ut rerum delectus et dignitas, quod est in inscriptione praecipuum, eluceat, cogitet scriptor non omnia scribenda esse, sed praeclara, quae posterorum interest scire.

Non solum minimae quaeque res sunt praetereundae, sed ipsi honoris tituli, in funebris et epitaphiis praesertim, parce sunt commemorandi, nec nisi cum Christi Cruci fuerint submissi. In ipsa operis causa seu ratione explicanda parcus sit scriptor : honorariis tamen inscriptionibus aliquid est concedendum. Praecipue vero in qualibet inscriptione veritate est nitendum : quid enim turpius quam si apud aequales nostros mendacio assentiri et posteros fallere videamur ? In Epitaphiis etiam, quae hoc tempore praecipue sunt in usu, ne nimii simus, ut saepe fit, in viris feminisque laudibus et virtutibus cumulandis, cum fuerint fortasse a bonis moribus et fidei exercitio omnino alieni.

Dignitas inscriptioni sit etiam ex certa honestatis modestiaeque significatione : nihil excidat quod quemque offendere possit, ac religio imprimis morumque disciplina sancta ubique et inviolata sit.

Inscriptiones tales esse debent, ut veritatis et virtutis testimonium et documentum omnibus exstent.

267. Inscriptionum mensura.

Non longa nec brevis omnino, sed iusta sit : ea autem iusta censenda est inscriptio, quam perlegens et rem plane intelligat, et iucunde hauriat verba. Facilius peccatur, dum, copiam ubertatemque plus aequo amantes ac nihil magis quam obscuritatem verentes, titulos condimus, qui demendo plerumque meliores fieri possunt.

At nec ea quae salva sententia tolli possunt, omnia semper extra modum habenda sunt : sunt enim ornamenta, sunt formulae solemnes, sunt et dictiones paulo copiosiores, quibus vel sententiae vis clarescit, vel inscriptio nobilitatur. Exsiguis tamen in monumentis grandiore dicendi genere non utemur, nec in magnis humiliori : nihil enim legenti citius in oculos incurrit, quam quod rebus non congruit. Quare habenda est ratio rerum, personarum tum ponentium titulos tum earum quibus ponuntur, causae insuper, et ipsius loci, in quo figenda est inscriptio.

268. Inscriptionum perspicuitas quanti facienda est, nemo non videt : quaelibet enim inscriptio index est. Quare :

1) Imprimis inauditum omne atque insolens verbum et ignotum vitabimus, quod veteres ipsi latini respuebant. Non enim perspicuum censendum est, quod plerique sine interprete non intelligunt, neque omnium communes habendae sunt eae voces, quae antiquariis iamdiu relictæ sunt: nam quod in hisce vocabulis eruditio scriptoris enitere tibi videtur, hanc, qui æquissimi sunt, intempestivam appellant.

2) Incerta et ancipiti significatione nutantia vitabimus. Quoad graeca nomina, ea quidem quae iam in usu sunt, recte usurpabis, nisi eadem latinis etiam verbis commode efferri possint, cetera velut ridicule ambitiosa reiicies.

Quaedam etiam latina et probata verba, reicienda puto, si minus convenient; ut puta honorum, munerum, curationum antiquas appellationes; tum geographiae, provinciarum, urbium, populorum vocabula, si incerta, si minus respondentia et apta; satiusque erit, veterum more, recentiora et barbara, prae antiquis, adsciscere nomina. Idem dicas de priscis monetae appellationibus, quibus nunc si utaris, nemo fortasse summam pecuniae nostrae adsequetur; quare, sicuti veteres « *aureos philippos* » habebant, « *argenteos aurelianos* », nummos « *bigatos, victoriatos* », cet., nos pariter « *aureos venetos, paulos, iulios, scutatos, florinos ...* » nummos nostros nominabimus.

Litterarum autem singularium, nec multus nec ineptus sit usus, nam sollemnes tantum formulae et omnibus notae singulariis litteris scribi possunt, nec semper. In nominibus etiam decurtandis (v. g. Caes. Tib. Aug.) cavendum est, ne casus discrimen tollas et inducatur ambiguitas.

Tum illud quoque curae esse debet, ne a vocabulis vel notissimis tot unā litteras auferamus, ut eorum ambiguum fiat initium; ambigue enim per C. F. indicaretur Caroli Filius cum posset indicare et Cornelii Filius, et per PR Presbyter, nam et Praetor et Praefectus legi poterit.

3) Maxima perspicuitas enascitur ex argumenti senten-

tiarumque unitate ; sed et multum studium in verborum structura et collocatione adhibendum, ne perspicuitati officiant.

269. Inscriptionum dictiones seu sermo et stilus.

Communis inscriptionum sermo inter oratorium et poeticum medius videtur.

Sed antequam inscriptionem aggrediaris, statuendum erit, quae dictio conveniat maxime, quaeque etiam aliis satisfacere possit ; eliges autem quae loco, operi et personis apta sit. Id erit scilicet definire, quae tibi res attingendae, quae relinquendae sint ; nam dictio ipsa rebus magis, quam verbis ornata fit. Hinc iam formulas, quae singulis rebus respondeant, quaeres ; et si qua occurreret plenior atque sonantior, eam ornatae dictioni aptabis : quae pressior sit et paulo lenior, hac in simplici dictione utere.

Verborum dispositio, ex qua ipsa dictio conflatur, a veterum exemplis petatur ; quorum assidua lectione aures ipsae delectari adsuescant, ut illam assequamur elegantiam, quae non tam in singulorum verborum delectu, quam in apta et numerosa collocatione est.

Inscriptionis latinae pulchritudo interdum sine particulis, saepe cum particulis connexivis, parce tamen adhibitis, consistit.

Praecipue etiam, ut iam alias monuimus, in dictione curandum est, ut cum veterum exemplis utemur, ordinem ipsum, normamque teneamus ; quae vero perversam religionem sapiunt, prorsus repudiemus.

270. Inscriptionum figurae.

Verborum sententiarumque figurae inscriptionibus conveniunt quidem, sed multo iudicio adhibeantur. Pleraeque enim figurae omnino sunt reiciendae, aliae parce usurpandae, quaedam tantum ultro et licentius intermiscendae.

Ac primum ineptae habentur, quae poëticae plane sunt, aut concitato oratoris impetu feruntur ; deinde fugiendae quae in verborum notatione aut lusu versantur. Itaque adhibentur praesertim prosopopoeia, exclamatio, apostrophe, ser-

mocinatio, *precatio* : verum communis stilus pauciores etiam admittit figuras, easque fere in verbis positas.

271. Inscriptionum numerus.

Venustatis ac dignitatis plurimum accedet inscriptionibus ex numero, qui a collocatione verborum proficiscitur, qua inscriptio iuncta fit atque levis et aequabiliter fluens; etenim his fere in rebus modus seu numerus consistit. Sed, ut non unum est inscriptionum genus, ita nec idem cuique numerus convenire potest: *sacrae* inscriptiones, ob ipsam argumenti dignitatem, numerosiorem habent orationem; *honorariae* numeros postulant multo etiam insigniores; contra, in *epitaphiis* rarius veteres longo anfractu verborum usi, modos usurparunt leniores; aequali etiam oratione deducuntur pleraeque ex *historicis*, si excipias operum publicorum inscriptiones, praesertim imperatorias; *elogia* tandem et constitutiones publicae suos, sed parcius, numeros habent.

272. Inscriptionum scriptura seu forma.

Haec si diligens sit, venustatem titulo dat iniciitque legendi cupiditatem.

Lapidariae litterae non modo antiqua omnes forma et primaria, sed, si titulus sublime locandus sit, omnino grandes sculpi debent. Pro varia igitur litterarum forma veterum exempla sunt inspicienda, eaque elegantiora et diversa. Singula autem auctor ipse eligat, et litterarum figuram mensuramque, et qua lege numeri, interpunctio, versuum divisio scribi debeant a lapicidis, ante constituat.

Etsi maxima detur in antiquorum inscriptionibus varietas, haec generatim tenere possumus :

- a) Singulis versibus litterae magnitudine inter se pares sint (etsi cum veteribus litteras potissimum I et T reliquis proceriores scribere liceat).
- b) Praenomina, nomina et cognomina eorum quibus inscriptio dicatur, vel qui dicant, maioribus fere litteris, quam cetera inscriptionis verba, ad varietatem et elegantiam, incidi possunt.

- c) Litterarum forma sit romana, optima et perfecta, apices autem vocalibus superpositi signaque itidem alia, optime relinqui possunt.
- d) Aequa sit verborum partitio, atque inelegantibus molestisque litterarum compendiis abstineas; quod si quae verba non integre scribenda censes, ab his extremae tantum litterae detrahantur, hoc praeterea observando, ut ultima littera, quae remanet, sit consonans.
- e) Punctis semper utendum ad verba, quae trunca scripseris; vulgo etiam post singula verba quae non sint versuum ultima (nisi forte verbum ibi mutilum, aut numerus, aut singularia littera legatur). Puncta autem semper ad litterae latus (non basim) medioque fere in spatio, quod vocabula discriminat.

273. Inscriptionum locus et ornatus.

Tituli universim nec ita sublimes figendi sunt, ut legi non possint, nec ita abditis sedibus, ut quaerendi sint, nec solitarii aut procul a monumentis, de quibus loquuntur. Suo quisque loco ponendus.

a) *Dedicationes* enim in fronte ipsa aedium sacrarum a veteribus scribebantur; quaedam etiam in zophoro (italice = fregio), quaedam vel in epistylis tantum, vel partim in zophoro partim in epistylis. In ipsis igitur aediculis, quas ad templorum alas excitamus, dedicationis titulus sublimis sit, ac fere in summo altaris fastigio legatur; si vero infra absidem atque inter columnas signum stet praecipuum magna in basi locatum, in hac inscriptio recte incidetur.

b) *Votivis* titulis locus est in aereis argenteisque candelabris, in clypeis, in argenteis loricis, quibus per festos dies altaria protegimus, in ceteris donariis.

c) *Monumenta sacrorum* in templo aut in aedibus, quae templo adhaerent, legenda sunt, eoque in ipso introitu aut in ipsis columnis templi.

d) *Epitaphia* in columbariorum ollis, in sarcophagis, in cippis, sed stantibus erectisque, nusquam humi porrectis, incisa sunt; si qua vero mausoleis inscribenda erunt, marmo-

rea in tabula, grandibus insculpta litteris, media in fronte locabuntur. Nunc pleraeque inscriptiones ultro citroque commeantium pedibus in templis teruntur! Quae vero epitaphia marmore parietibus incluso prostant, saepe sine sepulchro posita videntur: nullus enim cinerum locus, nulla urna apparet! Itaque, cum nuper sepulcra parietibus inhaerere ceperint, una in fronte epitaphia incidimus; sed ad cipporum latera recte addes quidquid epitaphiis adnecti solet: ibidem non modo vitae anni et nota temporis, sed salutationes etiam et sententiae morum et iura sepulcrorum incidi possunt. At si monumenti lapis opere anaglypho simulacrum defuncti refert, ita incidi epitaphium poterit, ut medio imago sit, litterae partim initio, partim ad latera,

e) *Honorariae* inscriptiones saepe loco suo carere coguntur: sed nulla huius generis inscriptio esse debet, quae non in arcu, aut in basi vel statuae vel columnae, aut certe sub signo aliquo vel pictura incisa fuerit: hoc enim vindicat ipsa inscriptionis natura.

f) *Historicarum* inscriptionum varia plane sedes: veteres circa forum publicarunt; ac publico certe loco legi debent, et pluribus in tabulis incidendi sunt tituli, ut de plano legi possint.

g) *Operum publicorum* inscriptiones, in ipsis fere eorum fastigiis eminent.

h) *Elogia* in foris atque in atriis domorum sub ipsis statuis legebantur; imo in bibliothecis, ubi praecipuorum auctorum imagines dedicabantur: nunc etiam pictis tabulis recte subscribentur.

i) *Constitutiones publicae* locum sane insignem nobilemque sibi vindicant: Capitolium plerisque sedem olim fuisse accepimus, sed edicta in pilis et porticibus figebantur.

RERUM INDEX

	pag.
Auctor lectori suo humanissimo	V
Librorum index praecipuorum quos inspexi.	IX

PROOEMIUM

DE STILO IN UNIVERSUM

1. Stili notio cum aliis affinibus notionibus non confundenda	1
2. Stili notio propria et metaphorica	2
3. Stili divisio secundum varias vocis acceptiones	3
4. De quo stilo hic agamus et an possit doceri	4
5. De stilo et grammatica	5
6. Quaedam ex grammatica recolenda	5
7. Quid possit stili disciplina	7
8. Stili virtutes ac veluti partes	8
9. Tractationis ordo ex allatis Ciceronis verbis desumptus .	9

PARS PRIMA

DE ORATIONE PURA ET EMENDATA

CAPUT I

DE PURITATIS NOTIONE ET FONTIBUS

10. Quid puritatis nomine intellegatur	13
11. In quo consistat latinitas	13
12. Qua ratione puri latinique sermonis usum assequamur . .	15

CAPUT II
DE VERBIS VETUSTIS

	pag.
13. De usu verborum priscorum seu inusitatorum	16
14. Praecipua quaedam verba obsoleta, verborum formae et modi inusitati	17

CAPUT III
DE VERBIS NOVATIS

Art. I. DE VERBIS NOVATIS IN UNIVERSUM

15. Verborum novatorum notio et divisio	19
16. Antiquorum scriptorum de eis sententia	20
17. Quid dicendum de verbis novatis aetatibus aurea et ar- gentea	22
18. Quid dicendum de verbis novatis aetatibus latinae linguae serioribus	23

Art. II. DE VERBIS NOVATIS CHRISTIANIS

19. Quae fuerit necessitas Christianis novandi verba	23
20. Damnanda nimia quorundam religio in usurpandis vocibus christianis	24
21. Multa vocabula scriptorum christianorum probanda sunt ac retinenda	25
22. Multae tamen res fidei christianae elegantius interdum efferri possunt ac debent	27
23. Plurima etiam vocabula « christiana » non technica neque ne- cessaria vel male novata debent expungi	29
24. Quid dicendum de latinitate « ecclesiastica » ?	31

Art. III. DE VERBIS NOVATIS COMMUNIBUS

25. Maiore profecto diligentia delectus habendus nobis erit quoad innumera verba serioribus aetatibus novata	32
---	----

	pag.
26. Aliquot voces et locutiones vitandae	33
27. Voces aliquot locutionesque classicae nova cum significatione usurpatae	54
28. Multa verba nova habent Iurisconsulti	67
29. Quid dicendum de latinitate philosophica et theologica seu « scholastica » ?	68

CAPUT IV
DE VERBIS NOVANDIS

*Art. I. AN ET QUIBUS CAUTIONIBUS LICEAT NOVARE
VERBA LATINA*

30. Licuit semperque licebit	70
31. Quibus cautionibus verba novare liceat	71

*Art. II. QUIBUS MODIS, PRAEEUNTIBUS OPTIMIS SCRIP-
TORIBUS, LATINE SUNT EXPRIMENDAE RES NOVAE ?*

32. Quibus modis veteres romani scriptores res novas significa- bant	73
33. Horum ergo vestigia nos etiam prememus	73

§ 1. *De rebus novis latine exprimendis per circumlocutionem*

34. Circuitionis verborum natura et usus apud antiquos scrip- tores latinos.	74
35. Leges de usu circuitionum verborum	75
36. Modi praecipui quibus latini scriptores periphrases finge- bant	76
37. Poëtarum licentia liberior quam oratorum	80

§ 2. *De rebus novis latine interpretandis per verba quoad
 significationem analogia :*

A) Analogia significationis propriae

38. Natura et exempla huiusmodi analogiae	80
---	----

	pag.
39. Huius analogiae usus praecipuus	82
40. Cautè tamen procedendum et sapienter	82

B) Analogia significationis translatae

41. Huius naturae et usus apud veteres scriptores	83
42. Animadvertenda circa aptum translationis usum	84

§ 3. De rebus novis latine exprimendis per verborum novationem

43. Necessitas et modi novandi verba	85
--	----

I. Modus novandi verba latina imitatione seu per onomatopoeiam

44. Onomatopoeiae naturae et usus	85
---	----

II. Modus novandi verba latina derivatione analogica

45. Derivationis naturae et elementa	87
46. Modi derivandi nomina	88
47. Modi derivandi verba seu verborum derivatorum genera .	90
48. Quid dicendum de vocabulis derivandis	92

III. Modus novandi verba latina compositione analogica

49. Compositorum naturae et usus apud Latinos	93
50. Compositionis cautiones et usus nostro tempore	94

IV. Modus novandi verba latina per mutationem ex alia lingua

A) Per mutationem propriam

51. Mutationis naturae et fontes	95
52. Romanorum scriptorum mens et consuetudo in graecis verbis mutuandis.	96
53. Praestantia huius fontis pro lingua latina	97

pag.

54. Quid dicendum et praecavendum quoad usum verborum graecorum.	98
55. Qua ratione vocabula graeca fieri et accomodari debeant latine	100

B) Per mutationem impropriam

56. Natura huius mutationis	101
57. Quando et quomodo adhiberi possit	102
58. Exempla ex auctoribus antiquis	103
59. Eadem consuetudo apud recentiores scriptores latinos .	104
60. Quaedam animadvertenda	105
61. De magistratuum nominibus latine efferendis	106
62. Recentiorum in hac re consuetudo	107
63. Quibus remediis consulatur in hac re latinitati	108

Appendix

DE NOMINIBUS ET COGNOMINIBUS PERSONARUM
DEQUE NOMINIBUS GEOGRAPHICIS LATINITATE DONANDIS

64. Quomodo nomina virorum et feminarum efferenda . . .	109
65. De cognominibus latine efferendis sententiae	110
66. Ratio in hac re sequenda	112
67. Nomina geographica	113

CAPUT V

DE VERBIS ADVENTICIIS ET BARBARIS
SEU DE BARBARISMIS ET SOLOECISMIS

68. Barbarismorum natura et partitiones	115
---	-----

Art. I. DE VERBIS BARBARIS IMPROPRIE DICTIS

69. Quid sit sermo plebeius, vulgaris, provincialis	115
70. Non confundenda verba vulgaria cum vetustis	116
71. Sermonis vulgaris proprietates quaedam	117

	pag.
72. Barbarismi in verborum scriptione et pronuntiatione . . .	118
73. Soloecismi natura et modi	119

*Art. II. DE VERBIS PEREGRINIS SEU BARBARIS PROPRIE
DICTIS*

74. Verba externarum linguarum a Latinis usu recepta . . .	120
75. Moderatus sit usus vocabulorum graecorum	121
76. Quaedam verba graeca non recepta in latina lingua, neque recipienda	123
77. Barbarus est usus articuli graeci	125

CAPUT VI

78. Verborum poëticorum natura et usus	126
79. Voces quaedam poëticae	127
80. Quaedam poëticae verborum structurae et epitheta com- posita.	128

PARS ALTERA

DE PERSPICUITATE ORATIONIS

CAPUT I

DE PERSPICUITATE RERUM

81. Perspicuitatis natura et momentum	133
82. Perspicuitas rerum ex perspicua earum cogitatione pri- mum oritur	133
83. Perspicuitas rerum oritur dein ex apta rerum copia et di- spositione.	134

CAPUT II

DE PERSPICUITATE VERBORUM SINGULORUM

Art. I. DE VERBIS USITATIS

	pag.
84. Ut verba sint perspicua debent esse usitata	136

Art. II. DE VERBIS PROPRIIS

85. Ut verba sint perspicua debent esse propria	137
86. Unde verba propria sint talia	138
87. Quid requiratur ut verba sint propria	138
88. Quomodo comparetur latini sermonis proprietas . . .	139

§ 1. *Proprietati sermonis latini consulemus adhibendo
verba et dictiones quae plane vim exprimant coloremque
nostri cogitati*

89. Debent igitur primum perspecta haberi verba latina co- gnominata seu synonyma	139
90. Bene etiam ad praeverbia in compositis attendendum est.	140
91. Praeterea attendendum est ad vim propriam derivatorum suffixorumque	144
92. Attendendum insuper quae verba melius exprimant sensa omnia animi.	145
93. Cum denique est latine aliquid vertendum, attendere ma- xime debemus ad propriam vernaculae vocis vim . .	146

§ 2. *Proprietati sermonis latini consulemus sequendo
propriam eius naturam propriumque ingenium atque
colorem*

A) Ratio multiplex latine res pressius definiendi

94. Varius usus verborum vagorum et definatorum in latina lingua et in nostris	148
95. Exempla ex utraque lingua	148
96. Varius usus numeri singularis pro plurali	151

	pag.
97. Usus numeri pluralis pro singulari	151
98. Latini eleganter per quaedam substantiva pressius designant quasdam locutiones nostras	153
99. Latini denique pressius definiunt per participium quasdam locutiones nostras	154

**B) Ratio multiplex dicendi latine minus definite quam
in nostris linguis**

100. Quaedam nostrae locutiones amplificatiores et magis definitae latine redduntur :	
1 ^o) per simplices praepositiones « ad, in, de, » etc. coniunctas cum substantivo	155
101. 2 ^o) per simplex substantivum omittendo quaedam substantiva nostra.	156
102. 3 ^o) per simplex substantivum, omittendo quaedam adiectiva nostra	158
103. 4 ^o) per adverbium vel vocabulum deminutivum	159
104. 5 ^o) per verbum vel locutionem praegnantem	160
105. 6 ^o) per substantivum, verbum vel adverbium compositum	160
106. 7 ^o) per comparativum adiectivi per adverbii	161
107. 8 ^o) per imperfectum consuetudinis vel conatus	161

**C) Differens vocum abstractarum usus in nostris
linguis ac in latina**

108. Infrequentia verborum « abstractorum » in linguae latinae usu.	161
109. Vocabula abstracta latina quibus apud nos fere voces definitae seu « concretae » respondent	162
110. a) <i>Pro substantivo abstracto, Latini saepe utuntur :</i>	
I) substantivo definito seu « concreto »	164
111. II) adiectivo neutro substantive posito	165
112. III) substantivo plerumque definito seu concreto in plurali numero.	166
113. IV) modo aliquo participiali verborum :	
1 ^o) participiis praesente vel perfecto, coniunctis cum substantivo vel absolutis	166

	pag.
114. 2 ^o) gerundio vel gerundivo	168
115. 3 ^o) infinito modo seu sententia infinitiva . . .	168
116. V) Propositione seu sententia aliqua :	
1 ^o) relativa	168
117. 2 ^o) propositione quae vel interrogat, vel declarat, vel concedit, vel causam dicit, tempus, condi- cionem, finem, etc.	170
118. b) <i>Pro adiectivo abstracto nostro Latini interdum utuntur :</i>	
I) genitivo vel ablativo cum « <i>de</i> » substantivi con- gruentis	172
119. {II) participio, gerundivo, sententia relativa	173
120. III) duobus substantivis non synonymis (= endyadi) vel synonymis, vel sibi invicem appositis . . .	174
121. IV) praepositione « <i>sine</i> », adiectivo « <i>plenus</i> », adverbio, aliis modis	175
122. c) <i>Pro adverbio nostro Latini saepe utuntur :</i>	
I) substantivo in casu ablativo vel accusativo cum praepositione	176
123. II) adiectivo, verbo, duplici verbo seu endyadi . .	177

**D) Nomina quaedam substantiva latina significationis
subiectivae vel obiectivae, activae vel passivae**

124. Horum substantivorum natura et usus	179
125. Quaedam substantiva a significatione propria obiectiva transeunt ad subiectivam	180
126. Quaedam a propria significatione subiectiva ad obiectivam transierunt	181
127. Substantiva latina significationis cum activae tum pas- sivae	182

**E) Differens in nostris ac in latina lingua usus sub-
stantivorum verbalium**

128. Verbalia in -tor, -sor, -trix	183
129. Animadvertenda circa huiusmodi verbalia nomina . .	184

F) Diversus saepe usus troporum seu orationis
immutatae

	pag.
130. Proprius usus troporum in latina lingua	184
131. Exempla diversitatis troporum simplicium	185
132. Exempla diversitatis in sententiis figuratis	186

CAPUT III

DE PERSPICUITATE IN VERBIS CONIUNCTIS
SEU IN SENTENTIIS ET IN PERIODIS

133. Quaedam generaliter servanda in verbis coniunctis . . .	188
--	-----

Art. I. DE VERBORUM COMPOSITIONE IN SENTENTIA

134. Constructio verborum grammatica et rhetorica	191
135. Ordo partium orationis mutuam rationem habentium .	192

Art. II. DE PARTIUM COMPOSITIONE IN PERIODO

136. Periodi natura, partes, genera	195
137. De compositione periodi	196
138. Varius sententiarum ordo in periodo	197
139. Animadversiones, praesertim de sententiis relativis et demonstrativis mutuam rationem habentibus . . .	199
140. Dissimilitudo latinae periodi cum nostra	200
141. Quid requiratur ad compositam periodum et expolitione distinctam.	201

PARS TERTIA
DE ORNATU ORATIONIS

CAPUT I

ORNATUS NATURA ET MATERIA

	pag.
142. Quid sit ornatus in universum	205
143. Ornatus rerum.	205
144. Verborum ornatus	206

CAPUT II

DE ORNATU EX IPSO GENERE ET DELECTU
VERBORUM SIMPLICIUM

Art. I. EX VERBIS PROPRIIS, NOVATIS, INUSITATIS

145. Ornatus ex verbis propriis habitus.	207
146. Ornatus ex verbis novatis et inusitatis.	208
147. Verba inhonesta ad ornatum reicienda	108

Art. II. ORNATUS EX VERBIS TRANSLATIS

§ 1. De tropis (Qt. VIII, 6)

148. Troporum natura et usus	209
149. Metaphora.	210
150. Synecdoche	210
151. Metonymia	211
152. Antonomasia, Ironia	211
153. Hyperbole, Litotes	211

§ 2. De figuris (Qt. IX, 1)

154. Figurarum natura et divisio	212
--	-----

A) *Figurae verborum*

	pag.
155. <i>Figurae ex verbi alicuius detractone ortae</i> : <i>Asyndeton</i> , <i>Ellipsis</i>	212
156. <i>Figurae ex verbi alicuius adiectione ortae</i> : <i>Pleonasmus</i> , <i>Polysyndeton</i>	213
157. <i>Figurae ex verbi alicuius repetitione ortae</i> : 1) <i>Anaphora</i> ; 2) <i>Synonymia</i> ; 3) <i>Expolitio</i> ; 4) <i>Epistrophe</i> ; 3) <i>Com-</i> <i>plexio</i> ; 6) <i>Geminatio</i> ; 7) <i>Gradatio</i>	214
158. <i>Figurae e verbi alicuius similitudine ortae</i> : 1) <i>Paronoma-</i> <i>sia</i> ; 2) <i>Similiter cadens</i> ; 3) <i>Similiter desinens</i>	216
159. <i>Nonnullae aliae figurae</i> : 1) <i>Chiasmus</i> ; 2) <i>Adiunctio</i> ; 3) <i>Disiunctio</i>	216

B) *Figurae sententiarum*

160. 1) <i>Exclamatio</i> ; 2) <i>Correctio</i> ; 3) <i>Interrogatio</i> ; 4) <i>Per-</i> <i>contatio</i> ; 5) <i>Dubitatio</i>	217
161. 1) <i>Reticentia</i> ; 2) <i>Praeteritio</i> ; 3) <i>Praeoccupatio</i> ; 4) <i>Con-</i> <i>cessio</i>	218
162. 1) <i>Apostrophe</i> ; 2) <i>Prosopopoeia</i> ; 3) <i>Hypotyposis</i>	219
163. 1) <i>Antithesis</i> ; 2) <i>Anacoluthon</i>	220
164. <i>De troporum et figurarum usu</i>	221

Art. III. DE NONNULLIS ALIIS ORNAMENTIS

165. <i>Similitudo</i>	221
166. <i>Sententia</i>	222
167. <i>Epitheta</i> : <i>divisio</i> , <i>vis</i> , <i>usus</i>	223
168. <i>Transitio</i>	224

CAPUT III

DE ORNATU EX CONIUNCTIONE VERBORUM

*Art. I. ORNATUS EX APTA COLLOCATIONE VERBORUM
SEU EX ARTIFICIO CONTEXENDAE SENTENTIAE ET
PERIODI*

169. <i>Sermonis facilitas et gravitas ex verbis bene iunctis</i>	226
---	-----

	pag.
170. Sermonis ornatus ex ordine oratorio	227
171. Quando vitiosus est ordo oratorius	228
172. Sermonis ornatus ex vario generum periodorum usu . .	229

Art. II. ORNATUS EX NUMERO ORATORIO

perfectae periodi dotes : compositio, concinnitas, numerus.	229
174. Quibus constituatur numerosum in oratione	230
175. Numeri oratorii natura et origo	231
176. Numeri oratorii causa et momentum	232
177. Non confundendus numerus oratorius seu rythmus cum metro poëtico	232
178. Numeri usus et locus	233
179. Numerus in clausulis praecipue curandus	233
180. Clausulae commendatiores	234
181. Numerus non aperta industria exquirendus	235
182. Quomodo numerosa fiet periodus	236
183. Vitia in oratione numerosa vitanda	237
184. Quomodo parari possit facultas numerose dicendi . . .	238

CAPUT IV

DE PROPRIETATIBUS STILI
QUAE AD ORNATUM PERTINENT

Art. I. DE VARIETATE ET NOVITATE

185. Varietas in rebus et in verbis	232
186. Quomodo orationi induci possit varietas	240
187. Non tamen, aucupio varietatis, amittenda stili aequa- litas	242
188. Quae novitas ad ornatum quaerenda sit	243

Art. II. DE COPIA ET BREVITATE

189. Quid sit copia et quomodo acquiratur	243
190. Brevitatis natura et usus	245

CAPUT V

DE VITIIS

QUAE EX PERVERSO ORNATUS USU NASCUNTUR

	pag.
191. In ornatu generatim mediocritas tenenda est	247
192. Mala ornatus affectatio ex nimio cultu	247
193. Mala ornatus affectatio ex vitiosa superlatione	248

PARS QUARTA

DE ORATIONE APTA

IN SINGULIS SCRIPTIONUM GENERIBUS

CAPUT I

DE STILO UT EST APTA DICENDI FORMA
PRO QUOLIBET SCRIPTIONIS GENERE

194. Orationis aptae natura	253
195. Divisio stili, ut est propria cuiusque scriptionis forma (sublimis, tenuis, medius)	254
196. Quis usus triplicis huius generis dicendi	255

CAPUT II

DE STILO UT EST APTA DICENDI FORMA
PROPRIA CUIUSQUE AUCTORIS

197. Partes stili, ut est cuiusque auctoris scribendi ratio . .	256
198. Quodnam horum dicendi generum maxime probandum ?	259

CAPUT III

DE RATIONE STILI COMPARANDI

199. Necessitas comparandi sibi stilum proprium	260
---	-----

pag.

200. Ex quibus rebus coalescat stilus	260
201. Quibus potissimum subsidiis ac rationibus stilus compa- rari possit.	261

Art. I. DE LECTIONE (Qt. X, 1)

202. Lectionis utilitates.	262
203. Qui auctores legendi sunt	263
204. Quomodo legendum	263

*Art. II. DE EXERCITATIONE SEU ASSIDUO USU ET
CONSUETUDINE SCRIBENDI (Qt. X, 3)*

205. Scriptionis momentum	264
206. Quae de scriptione generatim servanda	265
207. Optimum exercitationis genus est etiam interpretatio .	267

Art. III. DE IMITATIONE (Qt. X, 2)

208. Imitationis natura et necessitas	268
209. Variae imitandi rationes in scriptionibus	270
210. Quid generatim de imitatione auctorum tenendum . .	271

CAPUT IV

DE NONNULLIS SOLUTAE ORATIONIS GENERIBUS

211. Operis nostri ratio hac de re	273
--	-----

Art. I. GENUS EPISTOLARE

§ 1. De epistolis eruditis

212. Epistolarum eruditarum natura et usus	274
213. Quid in huiusmodi epistolis requiratur	374

§ 2. De epistolis familiaribus

214. Epistolarum familiarium natura, divisio, ordo	275
215. Epistolarum familiarium stilus	276

	pag.
216. Epistolarum familiarium virtutes seu proprietates. . . .	277
217. Cuiusvis epistolae proprium est, ut suum servet habitum seu convenientiam (ex ERASMO)	278
218. Quid dicendum de epistolarum titulis	279
219. Salutationum formulae in conclusione epistolarum . .	280
220. Quaedam praeterea observanda in epistolis	281

Art. II. DE STILI RATIONE IN RE DIDASCALICA
IN UNIVERSUM

221. Stilus in docendo generatim	283
222. Artium servilium stilus.	284
223. Artium liberalium stilus	284
224. Scientiarum stilus.	285
225. Stilus purus ac tersus docentes decet, non siccus et bar- barus (ex HEINECCIO)	285
226. Qui stilus in libris de morum religionisque informatione	286
227. Artium scientiarumque scriptores latini laudandi . . .	286
228. Scriptores latini probabiles in rebus sacris	287

Art. III. DE STILI RATIONE IN RE HISTORICA

229. Quis historiae stilus esse debeat	288
230. Quae et quomodo adhibenda sunt in historia ornamenta	288
231. Annalium, Chronicorum, Vitarum stilus	288
232. Rerum scriptores latinitate commendati	291
233. Scriptores latini in Vitis contexendis probatissimi . . .	291

CAPUT V

DE RATIONE ET STILO INSCRIPTIONUM

PROLEGOMENA

234. Genus epigraphicum omnium difficillimum	292
235. Qua lingua exarandae sint inscriptiones	292
236. Inscriptionum natura	293
237. Inscriptionum distributio praeferenda	294

Partitio prima

DE SEX GENERIBUS INSCRIPTIONUM

Art. I. DE INSCRIPTIONIBUS SACRIS

	pag.
238. De ratione generis universa	296
239. De titulis Deo vel Caelitibus positis	296
240. De monumentis sacrorum	298

Art. II. DE INSCRIPTIONIBUS HONORARIIS

241. Leges inscriptionum honorariarum	300
242. Dedicaciones librorum et tituli vacui	302

Art. III. DE EPITAPHIIS

243. Sepulcralium inscriptionum regulae	303
244. Exempla cuiusque generis	304

Art. IV. DE INSCRIPTIONIBUS HISTORICIS

245. De ratione generis universa	307
246. De fastis.	308
247. Inscriptiones operum publicorum	309
248. Indices locorum publicorum privatorumque	309
249. Indices eorum, quae legata, donata, vendita aut emptasunt	310

Art. V. DE ELOGIIS

250. Ratio generis universa	310
251. Generalis ordo contexendi elogii	311

Art. VI. DE CONSTITUTIONIBUS PUBLICIS

252. Harum generalis ratio, usus, leges	313
253. Exempla quaedam	313

Partitio secunda

INSCRIPTIONES MIXTI GENERIS

Art. I. INSCRIPTIONES TEMPORARIAE

	pag.
254. De ratione generis universa	315
255. Inscriptiones sacrae, precationum votorumque causa . .	315
256. Inscriptiones ad festos apparatus atque pompas	316
257. Inscriptiones funerum publicorum	317

Art. II. INSCRIPTIONES NUMMARIAE

258. Generalis ratio et leges pangendi huiusmodi titulos . .	319
--	-----

Art. III. TITULI RERUM PRIVARUM

259. Ratio generis universa ac leges	320
--	-----

Art. IV. INSCRIPTIONES POETICAE

260. Ratio generis universa	321
261. Funebres.	321
262. Sacrae	322
263. Historicae.	323
264. Elogia	323

Partitio tertia

DE REGULIS INSCRIPTIONUM COMMUNIBUS

265. Inscriptionum nomenclatura	324
266. De rerum delectu et dignitate inscriptionum	324
267. Inscriptionum mensura.	325
268. Inscriptionum perspicuitas	325
269. Inscriptionum dictiones seu sermo et stilus	327
270. Inscriptionum figurae	327
271. Inscriptionum numerus	328
272. Inscriptionum scriptura seu forma	328
273. Inscriptionum locus et ornatus	329